

MARCI PAVLI LEONIS ROMANI

E SOCIETATE IESV

I. V. D.

DE AVCTORITATE, ET VSV PALLII PONTIFICII.





ROMÆ,

Typis Ludouici Grignani, MDCXLIX.

SVPERIORVM PERMISSV.





EMINENTISSIMO;
ET REVERENDISS. PRINCIPI
D. IOANNI IACOBO
PANZIROLO
S. R. E. CARDINALI.



MARCVS PAVLVS LEO SOCIET. IESV. F.



AEPIVS, EMINENTISS. PRINCEPS, intermiſſa legum, ſacrorumque Canonum ſtudia me reuocant, & meorum aliquã exigunt laborum vſurã: adeo iuſtam excludere exactionem viſum mihi eſt iniquum. Altera vero ex parte aliæ me vocant domeſticæ occupationes, quibus aliquid temporis detrahere difficillimum eſt. Nihilominus vtrique pro viribus ſatisfacere


 2 pro-

procuraui aliquando. Quod vt modo facilius assequar, materiam non ita frequenter à Doctoribus ventilatam elegi de Auctoritate, & vsu Pallij Pontificij, materiam quidem pergrandem; cum ea primariam dumtaxat in Terris sequatur dignitatem; sitque in Patriarchis, & Archiepiscopis augumentum honoris, & præmium virtutis. Romanæ Curiæ imploratum auxilium sum expertus.

Patriarchalis sedis Constantinopolitanæ Pallium olim tibi Princeps Eminentissime communicatum mihi persuasit, antiquum vero meum obsequium impulit, vt exiguũ meum laborem tibi consecrem, spero tuam benignitatem non dedignaturam me seruum antiquioris obseruantiæ, & quod mea ingenij paupertas pleno sinu offert: Nam Principis est exigua desiderare, vt extollat, atque ita suas expleat diuinas quasi partes munificentiæ. Vale.

IN-

INDEX MATERIARVM.



14 An


An

VIN-

VINCENTIVS CARRAFA
SOCIET. IESV PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVm Librum, cui titulus, *De vsu, & Auctoritate Pallij Pontificij*, à P. Marco Paulo Leone nostræ Societatis Sacerdote conscriptũ, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur si ita ijs, quorum interest, videbitur; cuius rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, sigilloq. nostro munitas damus. Romæ 15. Aprilis 1649.

Vincentius Carrafa.



Imprimatur. Si videbitur Reuerendissimo D. S. P. A. Magistro.

Ascanius Riualdus Vicesg.

Reuerendiss. Pater, & Domine mi Colendiss.

VIdi Tractatum *De Auctoritate, & vsu Pallij Pontificij*. Materia hæc, quæ hucusque ferè latuit palliata, patefacta hodie ingenio, ac opera Admodum R.P. Marci Pauli Leonis Romani è Societate Iesu I. V. D. si exeat in lucem (quod ex Reuerendissimæ Paternitatis Tuæ placito expectatur) pro futuram fore Ecclesiæ, Ecclesiasticis, Canonum, ac legum Professoribus, studiorumq. vniuersitatibus omnibus, attestor ego

Gaspar Burgius Maceratensis I. V. D.

Imprimatur. Fr. Raymundus Capisucchius Reuerendiss. P. S. Pal. Apost. Mag. Socius, Ord. Prædic.

DE



DE AVCTORITATE, ET VSV PALLII PONTIFICII.





DIVINO priùs, vt moris est, implorato auxilio, accedenti ad explicationem tituli De Auctoritate, & vsu Pallij, non alio ad mei nuditatem ingenij cooperiendam opus est Pallio, quam illo mihi consueto, quod est Gloriosissimæ Dei genitricis Mariæ semper Virginis patrocinium, & ideo eam humillimè deprecor, vt meo labori sua patrocinetur luce.

Vt igitur debito, ac facili ordine in hac, quam præ manibus habemus, materia procedamus, videndum primo est: quid sit Pallium, & vnde dicatur illud nomen Pallij.

CAPVT I.

Quid sit Pallium.

SVMMARIVM.

1 *Pallium honestatis quid sit.*
2 *Pallium dignitatis quid sit. Vnde dicatur num. 3. 4. & 5.*
6 *Verba interpretantur à communi vsu.*
7 *Proprietates verborum in dubio attendendæ.*
8 *Pallium ad Summum Pontificem propriè spectat.*
9 *A Summo Pontifice omnis Ecclesiastica dignitas, & potestas profluit.*

10 *Pallij deſcriptio.*
11 *Pallium eſt augumentum honoris.*
12 *Pallium dignitatis cõmune Imperatoribus, & Patriarchis.*
13 *Valentinianus III. conceſſit Cæſareum pallium Archiepiſcopo Rauennaten.*
14 *Sumitur de corpore B. Petri.*

IO. Andreas *in rubrica de auctoritate, & vſu pallij* duo affert genera palliorum ideſt
1 pallium honeſtatis, & pallium dignitatis. & propterea ad huiuſmodi differentiam denotandam, exiſtimat pallium honeſtatis, quod quilibet etiam laicus ad corporis ornatum deferre poteſt, *c. ſuſcepimus 10. de homicidio*, pronunciari cum littera i, ideſt pallium; hoc veſtimenti genus olim erat propriũ Græcorum, ſicut toga Romanorum, quod poſtea Chriſtianæ frugalitatis amatores vt veſtem ſimpliciorem, & philoſophicam ſibi vſurparunt, teſte *Tertulliano in lib. de pallio*, & quia huiuſmodi pallium maximam denotabat ſimplicitatẽ, & frugalitatem, inde occaſionem nãciſcebantur Ethnici illudendi Chriſtianos quando aliquis ex Paganiſmo Chriſtianam religionem amplexabatur; ita ne, aiebant; à toga ad pallium?
2 Pallium verò dignitatis pronunciari, & ſcribi cum littera E, ideſt palleum, à cuius opinione nõ recedunt *Hoſtien. in ſum. tit. de tranſlat. Prælat. n. 7. Zabarell., & Io. de Imola in rubr. de author. & vſu pallij. Syluest.* in verbo *pallium, in principio.*
3 Aliqui putant deriuari hoc vocabulum à palis hoc eſt humeris, eo quod ſit ſpallarum, & humerorum ornamentum, ac loco ſuper humeralis, & rationalis, quæ Summ. Sacerdos dumtaxat deferebat *Exod. 28.*
4 Alij exiſtimant denominari à verbo Græco pallin, quod Latinè ſignificat motum, & concuſſionem, eo quod plurimum mouetur, & multoties concutitur in miniſtrando.
5 Nonnulli cenſuerunt deriuare à pallore, eo quod pallij vſum habens præ cæteris debet Deum diligere, ieiunijs, ac vigilijs inſiſtere, propter quæ pallidus quis effici ſolet, Alij ab aduerbio palam, quia vndequaque pateat cæteriſque veſtibus ſuperimponatur; ſed de huiuſmodi etymologia ſatis eſt hæc præmiſiſſe, nam etymologiæ verborum potius ad Grammaticos, quàm ad Iuriſtas pertinent, qui ſolum, quid rei ſpectant, & ideo de etymologia verborum parum curant, quando ex communi, vel legali vſu loquendi habeant rei ſubſtan-
6 tiam, & ſignificatum, verba enim debent interpretari, & intelligi ſecundum communem vſum loquendi, *l. librorũ, §. quod tamen*

tamẽ Cassius, vbi Bart. ff. de leg. 3. l. Labeo, ff. de supel. legat. & non sunt intelligenda secundũ quod sonant; sed secundùm mentem, & intentionem proferentis, *c. propterea, de verborum signif. l. non omnis, in princ. ff. si certum petatur, l. scire oportet, §. aliud, ff. de excusat. tutorum, l. non aliter, ff. de legat. 3.*

7 Verumtamen est, quod quando de mente proferentis non constat, tunc attenditur proprietas verborum, *d. l. non aliter*. Quod non est in casu nostro; quia pallium accipimus prout limitatum signum Pontificiæ dignitatis denotat.

8 Pallium ergo sic acceptum, est insigne ornamentum primario, Summi Pontificis denotans plenitudinem potestatis in ipso Summo Pontifice *c. ad honorem, de author. & vsu pallij, vbi Io. Andreas, n. 4. & DD. communiter*, in alijs verò plenitudinem officij, *c. nisi eodem tit. Hostien. in sum. eod. tit. n. 2.* & ideo secundariò est Patriarcharum, & Archiepiscoporum, & aliquando etiam alicuius Episcopi ex speciali priuilegio.

9 Dixi primariò S. Pontificis; quia pallium cũ significet plenitudinem potestatis *d. c. ad honorem, vbi DD. & Turrecrem. in c. Episcopos, in princ. dist. 100.* & hæc potestatis plenitudo solùm sit apud S. Pontificem, *d. c. ad honorem, vbi Panor. & Io. Andr. nu. 2. Clemen. 1. §. fin. vt lite pend. c. proposuit 4. §. fin. de concess. præbend. c. per venerabilem 13. qui filij sint legitimi*, & ideo primariò spectat ad S. Pontificem, & ab eo omnes alij palliati Ecclesiasticã recipiunt potestatem, *c. nisi 3. de auth. & vsu pallij, c. Antiqua 23. de priuilegijs* eo quod à Papa, tanquam à capite profluit omnis Ecclesiastica potestas in alios omnes Prælatos *c. in nouo testamento, dist. 21. c. loquitur 24. quæst. 1.* vt infra in quarto sequenti capitulo ostendemus.

10 Pallium ergo à DD. communiter describitur esse insigne ornamentum, de corpore B. Petri sumptum, denotans plenitudinem potestatis. Quod sit insigne ornamentum, patet, *ex c. prisca consuetudine, dist. 100.* vbi pallium dicitur dari in pręmium, & honorem virtutum, ac meritorum, & propterea appellatur pallij honor.

11 Insuper *in c. Rationis, dist. eadem* appellatur honoris augumentum, per hoc insigne dignoscuntur Patriarchæ, & Archiepiscopi ab Episcopis, cum enim, vt differit *Turrecrem. in c. 1. n. 2. d. dist. 100.* Patriarchæ, & Archiepiscopi susceperint vltra alios Pręlatos scilicet Episcopos aliquam excellentiam honoris ab Apostolica Sede, cõueniens est, vt etiam ab ea suscipiant ornamenta designantia

dignitatem illam, quod per pallium præſtatur; nam deſignat ſpecialem honorem, ac dignitatem.

Io. Andr. *in rubr. de auth. & vſu pallij* appellat dignitatem pallij, & *n.3.* ornamentum veſtium ex d. *c. rationis, S. priuilegia*.

A Turrecrem. *in rubr. diſt.* 100. *n.* 3. appellatur ornamentum honoris; *ab Vgone de S. Victore in lib. de Sacram.* dicitur pallium eſſe illam torquem auream, quæ olim legitimè certantibus dari ſolebat in præmium, & ſicut illa non dabatur niſi ei, qui legitimè certaſſet, ita pallium, niſi illi, qui in ſingulis honorum gradibus inſudauerit. *A Syluestro demum in ſum. verbo pallium, in princ.* appellatur corona.

Inſigne igitur ornamentum eſt loco generis in definitione, ſeu deſcriptione pallij, ſed tam genericè ſumptum nõ poteſt ſufficere vices generis proximi, quia nimis latè patet, & comprehendit tam ornamenta profana, quàm Eccleſiaſtica.

Quod pallium prout eſt dignitatis ſignum, & ornamentum comprehendat etiam ornamenta

12 profana obſeruauit *Gretſerius ad Godinum ex Turco Græcia*; dum aſſerit pallium fuiſſe commune Imperatoribus, & Patriarchis; imo primis ſæculis ab Imperatoribus honoris cauſa Imperiale pallium fuiſſe cõceſſum Patriarchis, & Epiſcopis, vt de Antimo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha affirmat *Liberatus in ſuo breuiario c.* 21. &

13 Valentinianum Tertium ad inſtar Imperatoris conceſſiſſe pallium Rauennatenſi Archiepiſcopo aſſerit *Carolus à S. Paulo Abbate Fulienſi in ſua Geografia ſacra lib. 9. de Patriarchatu Conſtantinopolitano*.

Ideo, vt conſtituatur in genere proximo ſubnectitur de corpore B. Petri ſumptum, & ſic eſt genus tãtummodo ad ornatus, & ornamenta Eccleſiaſtica, cum à B. Petro vti Chriſti Vicario omnia ornamenta, & honores in Eccleſiam profluxerint, vt infra probabimus.

Ponitur loco differentiæ plenitudinem poteſtatis denotans, quia pallium eſt proprium D. Papæ ornamentum, & inſigne plenitudinis poteſtatis, vt ex ſupradictis, & infra dicendis apparebit.



CAPVT II.

De materia, & forma Pallij.

SVMMARIVM.

1 *Pallium ex candida ouium lana.*
2 *Monasterium S. Agnetis singulis annis soluit canonem duorum agnorum Basilicæ S. Io. Lateranen.*
3 *Agniculi benedicuntur ab Abbate dicti Monasterij, quomodo, & quando.*
4 *Offeruntur ad pedes D. Papæ.*
5 *Educandi traduntur alicui ex Monialium Monasterijs.*
6 *A quibus fabricantur.*
7 *Forma pallij circularis, quæ eius latitudo, & longitudo.*
8 *Circulus quid denotet in pallio.*
10 *Lineæ pendentes ante, & retro quid, & n.11.*
12 *Cruces in fascia appositæ nigri coloris.*
13 *An ex lino confici possit.*
14 *In dubio actus permissus censetur.*
15 *Calices olim lignei, vitrei, & ex auricalco.*
16 *In sacris vestibus variari potest materia.*
17 *In compositis artificialibus forma consideratur.*
18 *Mutata forma tota res extinguitur.*
19 *Non potest pallium confici nisi ex lana, & n.20. & 21.*
22 *Consuetudo derogat iuri Ciuili, & Canonico.*
23 *Pallium cur ex lana.*
24 *Pastoralis officij munus.*
25 *Responsio ad argumenta in cōtrarium adducta, & n.26. 27. 28.*
29 *Forma in diuersis materijs, diuersimodè consideratur.*
30 *Simile non est idem, sed diuersum ab eo, cui est simile.*
31 *Cruces, & circularis compositio non videntur essentiales pallio.*
32 *Contraria opinio verior, & num.33.*
34 *Plenitudo potestatis, & officij per passionem Christi in Ecclesia.*
35 *Signatum ex signis cognoscitur.*
36 *Circularis compositio in pallio est forma partialis.*
37 *Pallia SS. Gregorij, & Remigij cur sine crucibus.*
38 *Pontifices prædecessores B Syluestri cur pingebantur cum pallio sine lineis pendentibus ante, & retro.*

1 CIrca materiā pallij omnes DD. conueniunt, pallium non confici, nisi ex lana ouis cādida, ita *Turrecr. in rub. Episcopos n.3. dist. 100. Gugl. Durand. in rational. Diuin. offic. l.3. c.17. de*

pallio nu.3. Isidor. Pelusiota epist. 136. ad Hermin. Christoph. Marcel. Archiepiscopus Corcirẽsis olim Sixti IV. Magister ceremoniarũ lib. 1. Rituum Ecclesiast. cap. 5. Lotharius, qui postea fuit Innocentius III. in lib. de mysterio Missæ cap 63. Polid. Virgilius de rerum inuent. l. 4. c. 12. & alij, quodque etiam confirmatur ex moderna fabricandi pallij consuetudine, quia ex lana candida quarundam ouium præcipuè contexitur.

2 Extat non longè à menibus Romanæ Vrbis extra portam Piam celeberrimum Monasterium sub titulo S. Agnetis olim Monialium, hodie Canonicorũ Regulariũ S. Saluatoris, annuo grauatum canone duorum agniculorum sine macula, & niueũ præseferentium candorem persoluendo Basilicæ Lateranensi; hos prius aqua diligenter defecatos floribusque coronatos, & sericis funiculis discriminatos singulis annis in festo S. Agnetis inter Missarum solẽnia olim, dum cantabatur à choro versiculus ille, Agnus Dei, celebrans
3 benedicebat; hodie verò regularis Abbas ex dicta Congregatione, cui à f. m. Paulo V. dictæ Ecclesiæ cura, & Monasterium demandata fuerunt, Pontificalibus indutus vestibus post missam solemniter à se celebratam benedicit vtrosque Agnos in maiori eiusdem Ecclesiæ Ara super de nouo extensa mappa collocatos, vnum videlicet à cornu Epistolæ, alterum verò à cornu Euangelij, quos postea ad populi, eorum lanam exposcentis deuotionem ex altero latere detonsos recipit Præfectus ceremoniarum nomine Ecclesiæ Lateranensis, Canonicorum, & Capituli, traditque eiusdem Ecclesiæ Mansionario, qui illos super equum tapeto, ac duobus puluinaribus serico panno obductis ornatum imponit, & per Vrbẽ circumducendo, ad Sum-
4 mi Pontificis pedes deponit, & ab eodem Pontifice communi benedictione receptos Camerarius Collegij Subdiaconorum
5 Apostolicorum accipit, traditq; pascẽdos alicui Monialium monasterio ad eius libitum eligendo, nisi aliter D. Papæ videatur, sed hoc sæpius, & illud rariùs; solet enim vt plurimum D. Papa mutuatis vicibus indulgere monialium desiderio, & pietati, modò vni, modò alteri monasterio dictorum agniculorum curam cõcedendo: in testes adduco, nobilissima Monasteria S. Marthæ, & Turris Speculorũ, in quibus inter cæteras duæ venerabiles Moniales regnantis Innocentij X. Sorores germanæ spectabili religiosæ vitæ exemplo degunt, & proximis elapsis annis dictorum agniculorum curam receperunt.

6 Onuphrius Pauinus in *tracta-*

tu de sacrarum vestium generibus refert huiusmodi pallia fabricari à venerabilibus Monialibus Turris Speculorum ex lana de agnis albis ab eisdem Monialibus nutritis, qui antequam tõderétur, die Dominica in Albis mittebantur ad circumeundum Altare S. Petri; sed quo fundamento hæc referat, ignoro; immo adhibitis diligentijs nihil reperi ad eius fauorem, nam præfata circumitio non solum non fit; sed neque de ea, alijsque supra narratis extat memoria, tam apud præfatas Moniales, quam apud alios.

Nescio quis scriptum reliquit huiusmodi pallia fabricari, & contexi à Monialibus S. Cosmati, sed neque huius quis recordatur, moderna quidem consuetudo contrarium docet, quia pallia fabricantur ab artifice per Camerarium Collegij Subdiaconorum Apostolicorum electo, vt de consuetudine sui tẽporis refert dictus *Christoph. Marcel. Archiepiscopus Corcyren. in lib.* 1. *RituumEcclesiast. sect.* 10. *c.* 5. *fol.* 103. *his verbis, Cura cõficiendorum, & conseruandorum palliorum spectat ad Subdiaconos Apostolicos*, & hanc ob causam Reuerendissimus Hieronymus Lampugnanus Mediolanensis prædicti Collegij olim vt Camerarius paucis ab hinc annis Decanus, dum viueret, in propriæ suæ habitationis domo telarium textorium detinebat, vt sub eius oculis pallia fabricarẽtur.

7 Forma pallij est circularis, conficitur ex fascia lanea, vt supradiximus alba, longitudinis nouem palmorum, latitudinis verò quadrantis palmarij, quæ per humeros, & brachium, veluti torques aurea circumuoluta conduplicat sinistram circuli medietatem illa sui parte, quæ à dextris humero, & brachio descendit, nec non vtraque sui exrremitate palmarum mensuram paulò excedente, veluti duabus lineis deorsum tendentibus secat sinistra nimirum extremitate ante pectus, dextera verò post terga æqualiter dimidiando circularem pallij superficiem. vtriusque lineæ extremitas cooperitur ferè per dimidiatum palmum velo quodam serico nigri coloris, sub quo occultantur duæ laminę plumbeæ eiusdem formæ, & mensuræ ad eum finem appositæ, ne lineæ deformiter inuoluantur, & crispentur, sed vnaquæque vt suo extensa loco debitum seruet decorem.

8 Circulus pallij, per quem humeri constringuntur, interpretatur, timor Domini, per quem opera exercentur, ne ad illicita defluant, vel ad superflua relaxentur, quoniam disciplina sinistram cohibet ab illicitis formidine pœnæ, dexteram vero

temperat à ſuperfluis iuſtitiæ amore,& ſub collo humeros cōſtringit ad denotandum,palliatum à ſe non diuerſum ſermone, & opere.

9 Lineæ verò, quæ antè, & retrò ſunt, & vtraque deorſum tendunt,ſignificant curas, & ſolicitudines huius vitæ, quibus cor, & humeri palliati ſępiſſimè grauantur, adeòvt, & vana, & tranſitoria cogitare, & ſuſtinere compellantur; hinc per pallij antè, & retrò à dextris,& ſiniſtris reaptationem illis poſthabitis ſępius ad cor redire aſſueſcant.

10 Duplicatur pallium in parte ſiniſtra ad innuendum præſentem vitam, quæ pro ſiniſtra accipitur,multis ſubiici moleſtijs; modò proſperis extollimur, modò aduerſis frangimur,modò carni terrena petendo, modò ſpiritui ſeruimus cęleſtibus adhęrendo; in dextera eſt ſimplex, & non duplicatur, quia denotat futuram vitam, in qua fruemur perpetua, & imperturbabili quiete; niſi velimus in ſiniſtra pallium duplicari ad denotandum palliatum ſe fortiorem exhibere debere in perferendis præſentis vitæ moleſtijs, & ſubditorum defectibus,ſecus verò in dextera ob ſimplicem palliati intentionem, qua ſoli Deo in omnibus ſuis operationibus placere ſtudeat.

12 In prædictæ faſciæ laneæ latitudine quatuor inſigūtur cruces ex velo etiam ſerico nigri coloris in circularem formam deſinentes, nam vnaquęque crucis linea in ſuperficie ſuſtentat veluti baſis ſuā diſſecati circuli partem non tamen circuli figuram deſtruit.

Singulis brachijs ſingulæ cruces apponuntur, pectori ſua non deeſt, cui altera à tergo correſpondet.

Quæ quatuor cruces eo ſitu ſunt in pallio diſpoſitæ, vt etiam ipſę aliam conſtituant crucem.

13 His poſitis, dubitant aliqui, an ex lino poſſit cōfici pallium. Ratio dubitandi eſt, quia nullibi hoc reperitur prohibitum,& quæ non reperiuntur prohibita cenſentur per legem permiſſa, *l. hæc non*, 28. §. *quod eis, ff. ex quibus cauſis maiores* 25. *annorum in integr. reſtit. l. ab ea. ſ. ff. de probat. l.* 1. *ff. de teſtibus, c. nuper* 29. §. *in ſecundo, de ſententijs excomm.*

14 Et in dubio præſumitur actus permiſſus quando non reperitur prohibitus, *Menoch. de præſumptionibus lib.6. quæſt.6.n.2. Maſcard. de probat. lib.3. concl.*1237. *num.*2. quod confirmatur, quia quando ſacri canones,& Eccleſia voluerunt aliquam materiā in ſacris vaſibus,& veſtibus excludere, prohibuerunt expreſsè, vt videre eſt *in c. vaſa, in fine, in c. vt calix, & c. conſulto, de conſecr. diſt.*1. nam *in c. vaſa,*

calices

15 *calices lignei, in c. vt calix*, calices lignei, vel vitrei, vel ex ęre, aut auricalco confecti, & *in c. consulto* corporalia serica, & tincta, expresè prohibentur, & præscribitur vt ex puro tantum lino corporalia, & calices saltem ex stamno conficiantur, ergo quando Ecclesia intendit à sacris vasibus, & vestibus materiam aliquã excludere, expressè prohibet, ergo si voluisset à confectione pallij excludere linum, expresè prohibuisset.

16 Secundò. Aliæ vestes sacræ, quibus non reperitur præscripta materia, videlicet stola, manipulus, casula, seu planeta, & dalmaticæ possunt confici, pro vt de facto conficiuntur, aliquãdo ex lana, aliquando ex serico, & sicut in illis potest variari materia, ita etiam in pallio, cũ argumentum à simili non sit ita facile respuendum.

Tertiò. Si pallium confici non posset ex lino, vel hoc esset, quia linum alias excluditur à sacris vestibus, & altaribus, vel quia pallium ex lino nõ esset aptum, & sufficiens ad denotandum id, quod Ecclesia in pallio denotare intendit. Primum nemo sanæ mentis audebit asserere, cum & amictus, alba, cingulum, corporalia, & mappæ fiant ex lino; secundum verò neque admittẽdum censeo, cum in om-

17 nibus compositis, & præcipuè artificialibus forma regulariter habeatur in consideratione, & non materia; nam forma confert, & dat esse rei, *l. Iulianus 9. §. si quis rem, ff. de exhiben. l. Diuus, ff. de in integr. restit. l. cum hi, §. si Prætor aditus, ff. de transact. l. Meuius, ff. de condit. & demonstrat. Panor. in c. ligneis, n. 2.*

18 *de cõsecrat. Eccles.* & mutata forma, tota res mutata, & extincta censetur, *d. l. Iulianus, §. si quis rem, & l. Seia 6. ff. de auro, & arg. legat.* ergo forma pallij, & non eius materia denotat, quod Ecclesia per pallium denotare intendit, ergo pallium ex lino confectum est aptum, & sufficiens denotare, quod Ecclesia per illud denotare intendit, ergo pallium etiam ex lino confici potest.

19 His tamen non obstantibus, contrarium censeo, videlicet nõ posse pallium confici nisi ex cãdida ouium lana, & ad hoc existimandum adducor primo ex nunquam interpellata Ecclesiæ consuetudine, quæ semper ex ouium lana pallium confecit, quod à primæua sua institutione fuerit ex ouis lana, docent *Baron. in suis Annal. tom. 2. sub anno Christi D. nostri 216. & Isidorus Pellusiota lib. 1. epist. 136. ad Hermin.*

20 De continuata verò consuetudine testantur *Lotharius Cardinalis, qui postea Innocentius Tertius in libro de mysterio Missæ, Turrecr. in c. 1. num. 3. & 4 dist. 100.*

dist. 100. Gugl. Durand. in suo rationali diuinorum officiorum lib. 3. c. de pallio nu. 3. Polidorus Virgil. de rerum inuent. l. 4. c. 12. Onuphrius Panuinus in tract. de sacr. vestium gener.

De moderno vsu non est quid dubitandum cum huiusmodi pallia ex lana dumtaxat conspiciantur.

21 Secundò. Quia ex diuturna, & non interpolata consuetudine insurgit ius legale, quod habet vim legis, *l. de quibus, l. diuturna, ff. de legibus, §. ex non scripto instit. de iur. nat. gent. & ciuil. c. fin. de consuetudine, c. consuetudo dist. 1.* & obligat sicut lex scripta, ergo sicut lex scripta potest iubere, vt solummodo ex lana conficiantur pallia, ita etiam lex non scripta.

22 Tertiò. Consuetudo est tantæ efficaciæ, & virium, vt non solum iuri ciuili, verum etiam canonico deroget, *Innocen. Io. Andr. Panor. Butrius, Anania, Imola, & alij Canonistæ in d. c. fin. de consuetud. Couar. de sponsal. par. 2. c. 6. §. 10. n. 19.* ergo multo magis derogat alicuius particularis facto, qui auderet cõficere ex lino pallium Archiepiscopale, ergo pallium non potest confici ex lino.

23 Quartò. Pallium denotat plenitudinem potestatis, & officij in Ecclesiæ pastoribus erga oues diuini gregis; hanc autem potestatis, & officij plenitudinem denotare nequit, nisi per pallium cõfectum ex lana ouis, eo quod oues sunt obiectum, & terminus, circa quas versatur, & ad quas terminatur dicta plenitudo potestatis, & officij, sine quibus illa frustratoria esset.

24 Præterea pastoralis officij obligatio præcipuè versatur circa oues deperditas, pastor enim tenetur quærere oues deperditas, & postea inuentas humeris sufferre, & ad Dominicum gregem reducere, hanc ob causam Isidorus Pelusiota loco cit. asserit pallium esse ex lana contextum, & non ex lino, Pontificumque humeris imponi, quod ouis illius, quam Dominus aberrantem quæsiuit, inuentamq. humeris suis sustulit, pellem significare; Summus Pontifex typum Christi gerit, eiusque munere fungitur, atque ita ipso habitu ostendit se magni illius, ac boni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit, ergo pallium non debet, neque potest confici ex lino, sed ouis lana.

25 Ad textus, & rationes in cõtrarium allatas, respondeo primo, negando nullibi hoc prohibitum reperiri: nam prohibetur ex diuturna, & immemorabili obseruantia Ecclesiæ, & consuetudine, quæ est lex non scripta, & vim legis scriptæ habet, vt supradiximus, & quæ con-

contra iustam consuetudinem sunt, non censentur permissa, *nisi exprimantur*, *c.1. de Const. in 6.*

26 Corruit primo dictæ rationis confirmatio, videlicet, quod quando Ecclesia vult aliquam materiam à sacris vestibus excludere, illam sacris canonibus, ac constitutionibus prohibet, prout in allegatis testibus; corruit inquam; quia diuturna, & immemorabilis cõsuetudo Ecclesiæ, & obseruantia à confectione pallij linum de facto, & expresse excludit, cum non nisi ex lana reperiatur hucusque confectum.

27 Ad argumentum ex similitudine rationis, de stola, manipulo, casula, quæ tum ex lana, tum ex serico confici permittuntur, eorumque materia licitè variatur; Respondetur huiusmodi materiæ variationem in dictis sacris vestibus ab Ecclesia tacitè præsumi permissam, cum neque lex scripta, neque consuetudo in contrarium extent; hoc tamen non est in casu nostro; diuturna enim obseruãtia, & immemorabilis consuetudo contrarium iubent, & ideo argumentum ex similitudine rationis frustra hic inducitur, cum diuersa, & non eadem sit ratio in vtrisque.

28 Ad tertiam rationem, respondetur cum Isidoro Pelusiota loco cit., Pallium denotare plenitudinẽ potestatis in oues, & plenitudinem officij in oues deperditas, quas inuentas pastor humeris suis sufferre, & ad gregem reducere tenetur; hoc autem significare solum potest pallium ex lana, non autem ex lino.

29 Ad illud demum, quod in compositis, & præcipuè artificialibus solum habeatur ratio de forma, quæ dat esse rei. Respondetur hoc simpliciter non esse verum, nam diuersimodè habetur ratio de forma informante talem materiam, & de forma prout informat diuersam materiam. exempli gratia. Ponamus formã pallij in solido argento, vel auro, & formam pallij in lana; omnes sanæ mentis considerabunt diuersimodè in istis diuersis materijs formam pallij: in solido enim argento, vel auro similitudinem, in lana vero realitatem pallij, & ideo diuersimodè accipietur forma
30 pallij in auro, vel argento, ac in lana, quia simile nõ est idem, & propterea diuersum ab eo, cui est simile *c. capitulum 30. vbi glos. in verbo cui est simile, de rescriptis, l. pecuniam, ff. si certum petatur, l. ad similitudinem, C. de Episc. & Clericis, glos. in l. quod Nerua, & ibi Bart. ff. depositi*, ergo non est simpliciter verum formam independenter à materia haberi in consideratione, & impartiri esse tali rei indepen-

denter à tali materia, D. tamen Papa poteſt conſtituere, vt pallia conficiantur ex lino, & ex qualibet alia materia, cum in Terris Deum repræſentet, eiuſque vices gerat. c. 4. *de translat. Epiſc. c. vt noſtrum, vt beneficia ſine diminutione conferantur*, & ex ſua ordinaria authoritate poſſit derogare omnibus legibus poſitiuis, tam ſcriptis quàm non ſcriptis, *d. c. 1. de Conſt. in 6.* plenitudinemq. poteſtatis habet, *c. qui ſe ſcit 2. quæſt. 6. Extrauag. vnam, de maiorit. & obedient. & DD. communiter*.

31 Secundò. Dubitant alij, an de eſsētia formæ pallij ſint cruces, & circularis faſciæ compoſitio. Ratio dubitandi eſt, quia modus geſtandi rem aliquam non eſt de illius rei eſſentia formali, ſed circularis compoſitio, eſt modus geſtandi pallium, ergo non eſt de eſſentia formali pallij circularis compoſitio.

Idem dicendum de crucibus, quæ appoſitæ videntur potius adornatū; quia in antiquiſſimis imaginibus SS. Gregorij, & Remigij pallium geſtantium, nullæ apparent cruces, quod non eſſet, ſi de eſſentia formæ pallij forent cruces.

32 Contrariam tamen opinionem cenſeo veriorem eſſe, quæ eſt *Innocentij, Panor. Butr. in rub. de authorit. & vſu pallij n. 4.* & aliorum; nam eodem modò ſe habet forma artificialis in compoſito artificiali, ſicut ſe habet forma naturalis in cōpoſito naturali; ſed in compoſito naturali forma eſt illa, quæ facit vnū compoſitum differre eſſentialiter ab alio, ergo etiam in compoſito artificiali forma erit illa, quæ facit vnum compoſitum ab alio differre, ſed forma circularis cum crucibus facit palliū differre ab alijs veſtibus ſacris, ergo forma circularis cum crucibus eſt de eſsētia formali pallij, maior patet, minorem probo. Pallij faſcia explicita, & in circulum non complicata, eſt eadem cum ipſa ſtola, quæ ab vtraque parte colli pendet, & deorſum deſcendit expedita, & nulla aſſignari poteſt differentia inter ipſam faſciam, & ſtolam, nam, & ſtola ſuas habet cruces, eiſdem fruitur longitudine, ac latitudine, & nihilominus ſtola eſſentialiter in genere ſacrarum veſtium differt à pallio, illam enim etiā diaconi deferunt, hoc vero ſolum Summus Pontifex per ſe, & ex priuilegio Patriarchæ, Archiepiſcopi, & aliqui etiam Epiſcopi, vt ſupra diximus, geſtant, ergo forma circularis cum crucibus eſt forma ſubſtātialis pallij, cum faciat pallium differre ab alijs ſacris veſtibus.

33 Quod vero cruces cum faſciæ circularis compoſitione ſint de eſsētia formæ pallij, probatur, quia per cruces diſtinguitur

guitur

guitur essẽtialiter pallium à laicalibus ornatibus, & præcipuè à quibusdam muliebribus ornamentis, quæ ad instar torquis sericæ solent ad vanum ornatũ circa collũ, & humeros deferri.

34 Secundò. Probatur. Per pallium traditur plenitudo potestatis, vel officij palliato, sed plenitudinem potestatis, & officij adepta est Ecclesia per Crucẽ, & Christi Domini passionẽ, ergo per Crucẽ, & Christi passionem solummodo illa traditur, & sicut ad consecutionem plenitudinis potestatis, & officij essentialiter requiritur crux, & Christi passio, ita etiam ad denotandam illius traditionem essentialiter requiritur crux, & Christi passio. Pallium enim traditur, vt supradiximus, vt signũ traditionis, & cõsecutionis plenitudinis potestatis, & officij.

35 Tertiò. Probatur. Ex signis cognoscitur signatum *l. 1. §. si intelligatur, ff. de ædilitio edicto, l. stigmata 3. vbi Bart. C. de fabricensibus lib. 11.* Pallium est signum plenitudinis potestatis, & officij. *c. nisi, 3. de auth. & vsu pallij, Turrecrem. in c. 1. dist. 100.* ergo ex pallio cognoscitur plenitudo potestatis, & officij; sed cognosci non potest plenitudo potestatis, & officij ex pallio, nisi adsint cruces, cum pallij fascia absque crucibus extendatur ad diuersorum signum, & ornamentum, vt supra probauimus, ergo pallium vt sit signũ plenitudinis potestatis, & officij, debet habere cruces, ergo ad essentiam formæ pallij requiruntur cruces.

36 Ad argumẽta in contrarium allata, respondetur primo negando, quod forma circularis sit modus gestandi pallium; forma quidem est partialis, & gestatio circa collum, & humeros est modus, quæ gestatio circa collum, & humeros non est de essentia pallij, nam pallium etiam supra nudam tabulam collocatum est verè pallium, neque eo tempore, quo non defertur, desinit esse pallium, *c. 1. cum seq. de Auth. & vsu pallij.*

Ad secundum negamus etiam, cruces in pallio esse positas ad ornatum, cum ipsæ etiam sint formæ partiales ipsius pallij ob rationes superius allatas.

37 Ad exempla de antiquissimis imaginibus SS. Gregorij, & Remigij pallium gestantibus sine crucibus. Respondetur, pictorum ignorantiam, & errorem non posse adduci in probationem, & eo magis, quia pictores in pingendis tabellis, magis arti, quàm veritati student, et vt plurimũ poeticis libertatibus, et licentijs vtuntur.

Secundò. Pictores cum non profiteantur clericatum, non tenẽtur ea scire, quæ ad sacrarum vestium vsum, et obseruantiam spectant. Præterea nescitur, an

data

data opera cruces omiſerint, videlicet, vt ex earum omiſſione ſuæ tabellæ ab aliorum pictorũ operibus dignoſcerentur, vel in contemptum religionis catholicæ hoc fecerint, eo quod forſan eſſent occulti hæretici, vel occultè iudaizarent. Demum tot ſunt Sanctorum Patrum, et Doctorum authoritates, & rationes, quæ ponunt in pallio cruces, vt ad nihilum redigant ſi quam dictæ Imagines authoritatem in medium poſſent afferre.

Pallium ergo eſt inſigne ornamẽtum Summi Pontificis, et Patriarcharum, et Archiepiſcoporum ex candida ouis lana confectum, circularem formã, quatuor crucibus ſignatam habens deſumptum de corpore B. Petri denotans plenitudinem poteſtatis, et officij, vt ſupra diximus.

38 Durandus *loco cit. n.* 14. aduertit Romanorum Pontificum prædeceſſorum B. Sylueſtri non fuiſſe effigiatas imagines cum lineis; videlicet cum extremitatibus pallij ante, et retro pendentibus, ſed circumuolutis cũ ipſo circulo, et rationes adducit, primò, quia illorum iuriſdictio, et poteſtas per pallium ſignificata erat inuoluta, et implicata, non autem libera: B. vero Sylueſtrũ eiuſque ſucceſſores illam habuiſſe liberam explicatamque, ac propterea illorum effigies pinguntur cum lineis pallij ante, et retro explicatis, et extenſis.

Secundò. Quia B. Sylueſtro eiuſque ſucceſſoribus fuerunt à Cõſtantino Imperatore conceſſa bona temporalia, quæ abſque ſolicitudine, et cura nequeunt poſſideri. *c. Conſtãtinus, diſt.* 96.

CAPVT III.

De Crucibus interlineatis in ipſo Pallio, earumque colore.

SVMMARIVM.

1 *Cruces quatuor de forma pallij.*
2 *Denotant mortificationem vitiorum in palliato.*
3 *Quatuor animi affectiones.*
4 *Etiam quatuor virtutes Cardinales.*
5 *Externa in miniſtris Eccleſiæ ſunt ſigna interioris poteſtatis.*
6 *Cruces purpureæ, vel nigræ in pallio, & n.* 7.
8 *Conſuetudo pro crucibus nigris.*
9 *Virtutes purpurandæ in Chriſti ſanguine, alias falſæ.*

Pon-

10 *Pontifex, cur Crucem à tergo, & pectore habeat.*

1 CRuces de forma pallij quatuor assignant DD. videlicet primam ante pectus, vel in pectore, secundã in brachio sinistro, tertiam retro post terga, quartam in brachio dextero plures ob causas.

Panor. *in rubr. de auth. & vsu pallij n.4. & ibi Io. Andreas, & Butrius etiã n.4.* hoc fieri asserunt
2 ad significandam mortificationem vitiorum, quæ debet esse in palliato, vt cum Apostolo *ad Galatas 6.* dicere possit, *Mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo;* cultui enim vestium conueniunt actionum ornamenta.
3 Alij existimãt per dictas cruces denotari quatuor animi affectiones, gaudium videlicet, dolorem, spem, et timorem. Primam ante pectus significare gaudium, quæ ideo præponitur, quia Prælatus debet semper incedere læta facie, animique tranquillitate, vt sic alliciat ad se timidos subditorum confugientium animos, secundam post terga, dolorem, vt ouium errantium sustineat, & compatiatur defectus, tertiam in sinistra, spem, vt nunquam in hac vita de cõuersione peccatorum desperet, & ideo nunquam debet ab illorum salute procuranda desistere, quartã in dextris, timorem, quia vbi sunt maiora dona, ibi crescunt rationes donorum reddendæ in alia vita, & ideo in Prælatos magis cadere debet timor, quia rationem reddituri sunt non solum de proprijs; verum etiam de alienis peccatis, & licet non in hac vita, vbi alios iudicant; sed in futura ante supremum, & iustissimum Christi tribunal iudicaturi sunt, & ideo crux timoris ponitur in dextra, quæ solet accipi pro immortali vita, & quia huiusmodi affectiones quandoq. excedunt, potius appellari debent afflictiones, quàm affectiones animæ, ideo in primis tribus crucibus ponũtur tres acus aurei ad pungendum, & reprimẽdum, ne excedant, in quarta non ponitur acus, quia timor semper secum habet aculeum.
4 Non desunt aliqui, qui asserunt per huiusmodi cruces designari quatuor virtutes Cardinales. Per primam ante pectus, iustitiam, quam Prælati semper habere debent ante oculos, per secundam retro positam prudentiam, ne præcipites in gubernando ruant, per tertiam in sinistra, fortitudinem, qua tolerare aduersa, & difficultates superare tenentur, per quartam in dextra, temperantiam, qua omnes animi motus temperare Prælati coguntur ad honorem Dei, animarumque salutem: caret aculeo, quia nunquam excedit, sed temperat alia.

5 Has,

5 Has, & alias ob cauſas cruces
ſunt de forma pallij, ea enim,
quæ exterius in miniſtris Eccle-
ſiæ geruntur, ſunt ſigna interio-
ris poteſtatis, vt bene aduertit
Turrecrem. in c.1.n.3. diſt. 100.
6 De colore iſtarum crucum
reperio DD. inter ſe diſcrepa-
re. Nam *Lotharius Cardinalis,
qui poſtea fuit Innocentius III.
in ſuo tractatu de myſterijs Miſ-
ſæ lib.1.c.63. de pallio, Rabanus,
Maurus de inſtit. Clericor. lib.1.
c.23. de pallio, Turrecr. loco cit.
Durand. in ſuo rationali Diuini
officij lib.3. c.17. de pallio n.8. Po-
lid. Virgil. lib.4. de rerum inuent.
cap.12. Rubeus de Diuinis officijs
lib.1. c.60.* affirmant huiuſmodi
cruces purpureas, ſed quo fun-
damento à me ignoratur.
7 Io. Andreas *Panorm. Butrius
locis cit. Bellamera in ſumma eo-
dem tit. de pallio, Syluester in ver-
bo pallium, & alij* admittunt in
pallio cruces nigri coloris. Iſto-
rum ſententia cõprobatur, quia
in diuerſis mundi partibus re-
periũtur antiquæ imagines SS.
Pontificum cum pallio, & nigris
crucibus, Panormi in Eccleſia
Confraternitatis Sancti Nicolai
duæ ſunt imagines eiuſdem
Sancti cum pallio, & nigris cru-
cibus, altera depicta anno 1419
altera vero de anno 1482. à To-
meo de Vigilia, hic Romæ in
Sacrario Vaticanæ Baſilicæ Sã-
cti Petri, alijſque antiquis Ba-
ſilicis, omnes Summorum Pon-
tificum effigies cum pallio, &
8 nigris crucibus. Comprobatur
etiam à moderna Eccleſiæ ob-
ſeruantia, quæ in pallio cruces
ſericas nigri coloris infigit, ex
quibus diſſonis DD. opinioni-
bus colligitur arbitrarium olim
fuiſſe colorẽ in huiuſmodi cru-
cibus conficiendis; nec quid
certum fuiſſe circa colorem ab
Eccleſia ſtatutum, & propterea
diuerſimodè obſeruatum; ſed
parum hoc intereſt, nam vter-
que color idem ſignificant, paſ-
ſionem videlicet, & mortem
vnigeniti filij Dei Chriſti Do-
mini noſtri, per quas omnia
bona venerunt nobis in mun-
dum, & hanc ob cauſam ait *Du-
9 rand. in ſuo rationali diuin. offic.
lib.3. de pallio, n.8. cruces in pallio
eſſe purpureas, & ſignificare qua-
tuor politicas virtutes, videlicet
Iuſtitiam, Fortitudinem, Tempe-
rantiam, & Prudentiam, quia
niſi cum crucis Chriſti ſanguine
purpurentur, falſum ſibi virtutis
nomen vſurpant, & ad veram
beatitudinis gloriam non perdu-
cunt*, & vt bene notauit *Raba-
nus loco cit.* Pontifex pallio in-
10 dutus à tergo, & pectore crucẽ
habet, vt ſua mente piè, & di-
gnè de paſſione Redemptoris
cogitet, ac populo, pro quo Do-
minum deprecatur, redemptio-
nis ſuæ ſignaculum demõſtret.
Ad præſens autem, poſita hac im-
memorabili Eccleſiæ conſue-
tudine de nigris in pallio cru-
cibus,

tibus,non auderem eas purpurare, verum etiam condemnarē illos,qui eas purpuræ donarent; nam consuetudo,& antiqua Ecclesiæ obseruantia non de tacito Sūmi Pontificis consensu,sed ab ipsomet inducta in suis pallijs habent rationem legis, *l.minime, ff.de legibus*,& supra probauimus,& propterea obligant ad huiusmodi cruces nigri coloris, & purpureas implicitè prohibent.

CAPVT IV.

Pallium vnde originem habuerit.

SVMMARIVM.

1 *Legale Sacerdotium figura Euangelici.*
2 *Pallium in lege gratiæ est antiquum Ephod.*
3 *Est loco superhumeralis, & ideo ab hoc originem trahit.*
4 *Non autem loco laminæ aureæ Sacerdotis legalis.*
5 *A Pastore Euangelico originem habet.*

1 Legale Sacerdotium fuit figura Euangelici,& propterea, vt bene notarunt *Iuo Carnoten. Epist.* 124. *& Origenes homil.*11. *in cap.* 20. *Leuiticorum,& Alcuinus de Diuin. offic.c. de singul. vest.* Pontificis legalis indumenta, & ornatus fuerunt figura sacrarum vestiū, & ornatus Euangelici Pontificis, nam accessorium sequitur naturam sui principalis,*l.etiam, C. de iure dot. c. accessorium, de regul. iur. in 6.* & licet Sacerdotes primis temporibus,*vt refert Vualfredus Strabo, de rebus Eccles. c.*24. communi indumēto vestiti Missam celebrarent, postea tamen Clemens Papa ex B. Petri Principis Apostolorum traditione sacrarum vestium vsum ex lege decreuit, ita *Honorius in Gem. lib.*1.*c.*89. Propterea *Io.Steph. Durātius lib.*2. *de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ c.*9. *nu.*42. docet ex Maximi Episcopi homilia de veste Sacerdotali, & ex sermone Eusebij
2 Cesariensis de Epiph. Pallium in lege gratiæ esse antiquum illud Ephod.
Et Durandus *in suo rationali Diuinorum officiorum*, *l.*3.*c.*17. *de*
3 *pallio n.*1. affirmat pallium esse loco superhumeralis, & rationalis, quæ legalis Pontifex gestabat; nam ex eo,quod vtrumque Pontificis humerum constringit est superhumerale,quia vero inde descendens in ipso Pontificis vtero coniungitur,

vocatur rationale: legalis enim Pontifex geſtabat ſuperhumerale, & rationale, quæ catenulis aureis ſimul in illius pectore iungebantur, ex quibus deducitur, pallium ſuo quoquo modo originem traxiſſe à ſupradictis veſtibus legalis Pontificis.

4 Alij aſſerunt pallium in Sacerdote Euangelico locum tenere aureæ laminæ, quæ legalis Pontificis caput exornabat; ſed iſtorum opinio nõ videtur probabilis, quia illa capitis ornamentum, hoc autem humeris adaptatur. melius huic laminæ correſpondet aurifriſium, ſeu Mitra, cum vtrumque ſit capitis ornamentum.

5 Sed à paſtore illo Euangelico ouem deperditam geſtante ſuper humeros originem traxiſſe potius, quàm à legalis Põtificis ſuperhumerale, & rationale videtur, cum pallium ex lana ouium conficiatur, ſuper humeros portetur, & in Christi Domini noſtri paſſione fundentur illius authoritas, & poteſtas, vt ſupra probauimus, & eo magis, quia paſtores Euangelici repræſentant perſonam eiuſdem Christi Supremi Paſtoris animarum noſtrarum.

Et hoc probatur, quia ſimile ad id, cui eſt ſimile, relationem habet, & conſequenter ab eo, in quo eſt ſimile, originem trahit; ſed pallium relationem habet ad paſtorem Euangelicum, qui ouem deperditam in humeris portat, ergo ab eo originem trahit.

Hanc ob cauſam ſcribit *Iſidor. Peluſ. l. 1. epiſt. 136. Herminno Comiti* de Epiſcopis, quibus pallij vſus competit. *Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque ipſo habitu illud omnibus oſtendit ſe boni illius, ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit ac diligenter animum attende; nam cum ipſe Paſtor per adorandorũ Euangeliorum apertionem accedit, tùm demũm Epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum, ideſt palliũ, deponit, hinc nimirum ipſum paſtoralis artis ducem, ac Deum, & herum adeſſe ſignificans.*

CAPVT V.

Quis primo vſus ſit Pallio.

SVMMARIVM.

1 *Pallij origo antiquiſſima.*
2 *Aliqui exiſtimant tempore S. Petri illius vſum introductum.*
3 *Maternum recepiſſe à S. Petro pallium eſt improbabile.*
4 *S. Valerius admonetur in ſomnis,*

nis, vt consecret sibi successorem Maternum.
5 *Pro Materni pallio successori relicto, quid intelligendum, & n.6. 7. & 8.*
9 *A Marco I. conceditur Episcopo Hostien. pallium.*
10 *Lino tribuitur primus pallij vsus*
11 *Alij tribuunt Clementi I.*
12 *Clemens scriptum reliquit ritum celebrandi Missam.*

1 PAllij origo antiquissima est secundum communem DD.& SS.Patrum sententiam, sed quando illius vsus inceperit incertum est.

2 Rupertus enim Abbas Tuitiensis *in lib.1. de Diuinis officijs cap.* 27. videtur indicare quod tempore Diui Petri Principis Apostolorum introductus fuerit vsus pallij, dum ait Maternum à S.Petro ad primam Belgicæ Metropolim, idest Treuiren̄ missum, hæreditatem pallij suis successoribus reliquisse; hanc opinionem non improbabilem existimat *Andreas de Sueßay in suo nobili tractatu de misticis Galliæ Scriptoribus in libello de pallio sacro c.* 1. coniecturando, sicut enim S. Iacobus Apostolus, qui fuit à S.Petro ordinatus primus Hierosolymorū Archiepiscopus, *c. porrò, dist.* 66. gestauit laminā auream, & enituit Pontificali ornatu, vt referunt, *Clemens Alexandrinus, & Eusebius Cæsarien.* eosdemque pontificales ornatus gestasse Ephesi S. Io. Apostolū scribit *Policrates*, qui fuit ferè Apostolis coæuus in *Epist. ad Victorem Papam*, *quā affert Eusebius lib.*5. *Historiarum Ecclesiasticarum c.*23. ita non videtur absurdum si dicatur Petrus, qui Principatum, & regale Sacerdotiū præseferebat, fuisse auctor pallij, quod est minus expectabile ornamentum, quā lamina aurea.

3 Equidē huiusmodi opinionem omni probabilitate vacare censeo, nam S. Maternus suscepit Archiepiscopalē Ecclesiæ Treuireñ curam, & ordinatus Archiepiscopus post obitū S. Petri sub Cleto Sum. Pontifice; à Sancto autem Petro fuerat institutus Episcopus Treuireñ S. Eucharius, cui adiuncti in socios ab eodē S. Petro fuerant Valerius Diaconus, qui postea dicto Euchario successit in Episcopatu, & Maternus subdiaconus. S. Valerius anno 88.

4 à Christi natiuitate moriturus per quietem certior factus ab Euchario suo prædecessore accipit mandata, vt Ecclesiæ Maternum probatæ virtutis sociū destinet successorem, Treuericique gregis consecret antistitem, ita doctissimus *Christoph. Brouerus meæ Societ. lib.*2. *Annalium Treuiren. fol. mihi* 174. & cum res ita se habeat, vel Maternus palliū accepit à S.Petro

antequã esset Archiepiscopus, vel postea; primum asserere ridiculum est, cum pallium potius deberetur suo prædecessori Euchario, qui fuit à S. Petro institutus Episcopus, qui tamen non dicitur illud accepisse, neque reliquisse hæreditatẽ pallij Valerio successori, neque hunc Materno, secundum vero affirmari multo minus debet, quia B. Petrus ad patriam cælestem ab aliquibus annis iã euolauerat, & ideo quando dictum fuit S. Materno relictam esse pallij hæreditatem successoribus, intelligendum est formam, & regulam, sub quibus S. Maternus, vt sub pallio vitæ, & morum integritatem cõseruauerat ab omnibus mundi inquinamentis, & illecebris, atque ita suis laboribus, & vitæ sanctitate stabiliuisse in fide catholica populũ Treuireñ, adeo vt illi debeatur quicquid successores authoritatis, & potestatis in dictũ populum habent, atque ita illius hæreditas dicitur Pontificialis authoritas in successoribus ad instar pallij, qua subinduuntur cum consecrantur Archiepiscopi Treuireñ.

6 Potest etiam pro pallij hæreditate intelligi spiritus quoad Materni exemplum, & imitationem, eius successores per aliquod tempus post eius obitum rexerunt Ecclesiam Treuireñ, vt de pallio, quod Elias reliquit Elisæo, quando raptus à Deo fuit ex hominũ comercio, interpretatur.

7 Nisi dicamus nomine pallij accipi aliquem peculiarem habitum, quo in Põtificalibus vti forsan solebat S. Maternus eoque successores vsi postea forsan sunt in festiuis, vel solemnioribus festis, deuotionis causa in tanti Præsulis memoriam, & reuerentiam.

Hoc certũ est nullum apud Treuirensem Ecclesiã extare monimentum de pallio Archiepiscopali, quod aliqui existimant S. Maternum habuisse à S. Petro, nam tribus ab hinc circiter annis interrogati moderni Canonici, & Presbyteri dictæ Ecclesiæ, an aliquid de pallio huiusmodi scirent, prorsus se inscios esse responderunt, me-
8 lius forsan, & conformius annalibus Treuireñ *lib.2.* sub annum Christi 92. vbi dicitur cõcessa B. Materno pallij hæreditas, idest primatus Ecclesiæ Treuireñ, eundemque primatum, quasi hæreditario iure successoribus reliquisse.

9 Quod demum comprobatur ex *Baronio in suis annalibus sub anno Christi 336. Marci Papæ huius nominis Primi anno primo, Constantini Imperatoris* 31. vbi expresse testatur à præfato Põtifice pallium concessum summi honoris, & plenitudinis potestatis Episcopo Hostiensi, qui conse-

conſecrat Pontificem Romanum,& nemini alteri prius fuiſſe conceſſum,ex tanti viri adeo oculata authoritate manifeſtè colligitur S.Maternum ſui, nō autem Pontificij pallij hæreditatem reliquiſſe ſucceſſoribus.

10 Chriſtoph. Marcel. *Archiepiſcopus Corciren. olim Sixti IV. Præfectus cæremoniarum,& Priſcus auctor Eccleſiaſticorum rituum, & cæremoniarum S. Romanæ Eccleſiæ lib.1. ſect.10. c.5. fol. mihi* 103. tribuit primam pallij inſtitutionem, vſumque S. Lino II. poſt Petrum Pontifici, & hoc diſſertiſſimè atteſtatur ex eiuſdem ſummæ ſedis aſſertione, & ex Maximo Epiſcopo, homilia de veſte Sacerdotali,& ex Euſebio Cæſarienſe ſermone de Epiphania, quos ſequitur *Andreas de Sauſſay in ſuo libro de miſticis Galliæ Scriptoribus, loco cit. Tobia Corona in ſuo ſacro Templo parte* 1. *c.* 56.

10 Polidorus vero Virgilius *de rerum inuentoribus lib.*4. *cap.*12. affirmat Clemētem Papā huius nominis Primum introduxiſſe vſum pallij, eoque etiā ornaſſe Patriarchas, & Archiepiſcopos,ſed nullum ſui fundamentum, nullamque rationem affert, & propterea probabilitatem non admittit, & eo magis, quia in ſcriptis huius Pontificis ſatis luculentis nulla mentio fit de pallij huiuſmodi inſtitutione, multò minus conſtat illud conceſſiſſe Patriarchis, & Archiepiſcopis,immo ex Baronio

12 loco cit. contrarium extat; fundatur forſitan in ea antiqua Eccleſiæ traditione, quā refert *Spondanus in ſua Epitome Annalium ſub Chriſti anno* 102. videlicet, quod Clemens eundem, quem acceperat à S. Petro ritum offerendi ſacrificium, nēpe miſſam, Romanæ Eccleſiæ ſcriptis conſignatum reliquiſſe; cui traditioni ſtipulantur *Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus*, alijque graues Authores qui de ſacris Ritibus ſcripſerūt.

CAPVT VI.

A quo tradatur Pallium, & ſub qua forma.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex recipit immediatè à Deo plenitudinem poteſtatis.*

2 *Propria authoritate accipit ſibi pallium die ſuæ Coronationis.*

3 *Verbum, accipit, denotat abſolutum, & independens rei dominium.*

4 *Pallium imponitur ab antiquiori Cardinali Diacono.*

5 *A Cardinali Diacono cantaturo Euangelium insiguntur acus aurei in pallio.*
6 *Innocentius Decimus stans præ gradibus Altaris SS. Apostolorũ in Vaticano accepit pallium.*
7 *Cardinalis Mediceus, & Antonius Barberinus funguntur officijs prædictorum Diaconorum.*
8 *Patriarchæ, & Archiepiscopi omnes recipiunt pallium denotans plenitudinem officij de manu D. Papæ, & n. 9. 10.*
11 *Metrophanes moriens relinquit pallium successori.*
12 *Patriarchæ Alexandrini ad plenitudinem suæ dignitatis recipiunt pallium B. Marci.*
13 *Respõsio excludens prætensi pallij successiuam hæreditatem, & n. 14.*
15 *Forma verborum in tradendo pallio, & n. 16.*
17 *Forma substantialis dat esse rei.*
18 *Traditio pallij constituit Archiepiscopum in esse Archiepiscopali, & n. 19.*
20 *Modus est moderatio dispositionis.*
21 *Quæ tacitè insunt, pro expressis habentur.*
22 *Qualibet dispositio accipit interpretationem à consuetudine.*
23 *Pallium traditur ad vtendum in Prouincia.*
24 *Verba superaddita formæ, denotant effectus.*
25 *Forma substãtialis in rebus naturalibus, quæ imponitur à natura, in artificialibus, ab arte.*
26 *Verbum passiuum aliquando pro actiuo.*
27 *Continens est quid distinctum, ab eo, quod continetur.*

1 PAllium, cum denotet in Summo Pontifice plenitudinem potestatis, vt supra diximus, quam ille immediatè recipit à Deo post sui legitimã electionem *Caiet. opusc. 1. de authori. Papæ c. 14. & in par. 2. Apolog. c. 22. Suarez de fide, disp. 10. sect. 4. n. 3. Sylu. verbo Papa n. 2. quæsito 1. Decius in cap. licet 6. n. 15. de elect. vbi Bald. n. 3. Turrecr. de potest. Eccles. lib. 2. c. 42.* ideo pallium à nemine ei tradi-
2 tur, sed propria auctoritate sibi illud assumit. Nihilominus die suæ Coronationis in Vaticano Templo SS. Apostolorum Petri, & Pauli post expletam cõfessionem in principio solemnis Missæ fieri solitam, stans præ gradibus Altaris eorundẽ Apostolorum pallium sibi imponi permittit ab antiquiori
3 Cardinali Diacono, qui interim infrascripta profert verba. *Accipe palliũ sanctum plenitudinem Pontificalis officij ad honorẽ omnipotentis Dei, & Gloriosissimæ Virginis Mariæ eius Matris, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli; & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ;*

4 *clesiæ*; nota illud verbum, accipe, quod denotat absolutum, & à nemine dependens dominium in re, quam quis accipit, *l. cum quis vxori* 3. *§. mulier, ff. de dote prælegata*, & ideo Summus Pontifex induitur pallio suo, & independenter ab aliena traditione, & propterea antiquior Cardinalis cum nulla authoritatis vmbra polleat in dicta celebritate non dicit, tradimus, &c.

5 A Cardinali verò Diacono Euangelij, idest, qui cantaturus est Euangelium in dicta Missa solemni infiguntur aurei acus in pallio locis supranotatis, in
6 cuius ceremonialis consuetudinis exequutionem Innocentius Decimus, qui ad summi Apostolatus apicem assumptus paucis ab hinc diebus fuit die 4. Octobris 1644. ad Vaticanū Templum Roma vniuersa triūphante, & præ gaudio clamante; viuat Innocentius Nestoreos annos, delatus stans præ gradibus Altaris SS. Apostolorum fuit pallio Pontificio in-
7 dutus à Card. Mediceo Diacono antiquiori, & in pallio acus aurei, gemmatique infixi fuerunt à Cardinali Antonio Barberino Diacono Euangelij.

8 Patriarchæ verò, & Archiepiscopi non possunt propria auctoritate sibi pallium assumere, quia in ipsis pallium denotat plenitudinem officij, non autem potestatis, & propterea debent illud accipere de manu illius, à quo recipiunt officium, videlicet à Sede Apostolica, *c. nisi de author. & vsu pallij, Gregorius II. epist. 54. ad Ioannem Rauennaten. Episcopum Concil. Lateranen. sub Innocentio III. c. 5. de dignitate Patriarcharum, & DD. communiter*. De quatuor maioribus Patriarchis, videlicet Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano nullus residet dubitandi locus, quin accipere pallium immediatè debeant à Sede Apostolica *per dictū Concil. Later. & c. antiqua, de priuilegijs, vbi Io. Andreas, Panorm. & alij*.

9 Multo magis cæteri minores Patriarchæ, videlicet Aquileiensis, Gradensis, seu Venetiarum, Bituricensis, & similes, qui ad instar Patriarcharum multis prerogatiuis, & priuilegijs fruūtur, sed in proprio, & lato modo appellantur Patriarchæ, & potius Primates vocandi sunt.

10 Idem dicendum de Primatibus, & Archiepiscopis, nec obstat Concil. Lateranen. loco cit. vbi expressè decernitur primo dictos quatuor Patriarchas post quam pallium à Romano Pontifice acceperint, & præstiterint fidelitatis, & obedientiæ iuramentum posse suis suffraganeis licenter pallium largiri, & idem confirmatur in

dicto c. antiqua, ergo istorum Suffraganei non debent palliũ immediatè recipere à Sede Apostolica, sed à prædictis quatuor Patriarchis.

Non obstat inquam, quia ex allegatis testibus solum colligitur vnica, & ferè nullius momenti distinctio, videlicet prædictos quatuor maiores Patriarchas recipere pallium immediatè à Sede Apostolica, alios vero mediãtibus dictis Patriarchis, quæ distinctio nõ obstat nostræ vniuersali propositioni, & propterea non excludit receptionem esse de manibus Sedis Apostolicæ; nã dicti quatuor Patriarchæ non tradunt pallium suis Suffraganeis propria auctoritate, sed ex Sedis Apostolicæ delegatione, vt per *Innocentium in c. significasti 4. in fine, de electione*, & per allegatos textus, ergo vt illius delegati, & propterea Sedes Apostolica verè, & realiter concedit, & tradit pallium, ob vulgatam regulam, qui per alium facit, per se ipsũ facere videtur, *l. 1. §. deiecisse, ff. de vi, & vi armata, l. si per alium 5. ff. ne quis eum, qui in ius vocatur vi eximat, l. is damnum dat, vbi Decius, ff. de regul. iuris, c. qui per alium 72. de regul. iuris in 6. c. Mulieres, §. illi verò, de sent. excomm.*

Secundò. Respõdetur omnes immediatè recipere pallium à Sede Apostolica, quia illud de B. Petri corpore tantũ assumitur, *cap. significasti 4. §. fin. vbi glos. in verbo corpore assumuntur, & ibi DD. de elect.* ergo omnes à Sede Apostolica immediatè recipiunt.

11 Obicies. *Abbas Generalis Cõgregationis Fulien. D. Carolus à S. Paulo in sua Geographia sacra lib. 9. de Patriarchatu Constantinopolitano fol. 219.* refert Metrophanem morientem imposuisse humerale, scilicet pallium sacræ mensæ Altaris, præcipiendo illud seruari successori. Insuper

12 addit Patriarchas Alexandrinos à primis seculis pallium S. Marci habuisse, vt ex *Breuiario Liberati de causa Nestoriana, & Euthychiana cap. 20. de Gaiano, & Theodosio* se dedicisse fatetur, qui ait. *Consuetudo quidem est Alexandriæ, illum qui defuncto succedit, & excubias super defuncti corpus agere, manũque dextram eius, capiti suo imponere, & sepulto manibus suis accipere collo suo B. Marci palliũ, & tunc legitimè sedere*, ergo pallium hæreditario iure à prædecessore, non autẽ à Sede Apostolica habent.

13 Multipliciter respondetur, huiusmodi consuetudine data, & non concessa adhuc vis argumenti nulla. Primò, vel est pallium, de quo hoc loco propriè agimus, vel est aliud vestimenti Pontificij genus; si secundum nihil probat, si primũ

adhuc

adhuc non probat, nam vel B. Marcus pallium reseruandū successori receperat à Sede Apostolica, vel non receperat, si primū, ergo successor illud recepit etiam à Sede Apostolica mediante suo prædecessore, si secundum, ergo non est palliū de quo quæritur, cum non sit sumptum de corpore B. Petri.

14 Respondetur secundò. Prædecessor, vel relinquit pallium successori auctoritate propria, vel Sedis Apostolicæ si primū, ergo non relinquit pallium, sed pallij cadauer, cum pallij formale, & essentiale sit constituere Archiepiscopum in esse Archiepiscopali, tradendo nomē, & plenitudinem Archiepiscopalis officij, vt infra probabimus, quod solum habet, quatenus emanat è manu Domini Papæ à quo solum necessario recipiendum, non autem à prædecessore: si secundum, ergo habemus intentum per vulgatam regulam, nostra omnia facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur, *l.1. §.omnia, C. de veter. iure enucleando.*

15 De forma verborum in tradendo pallio nulla quidem certa præscribitur lex, licet *in c.1. de author. & vsu pallij* videatur apposita in illis verbis. *Tradimus tibi pallium, vt eo vtaris intra tuam Ecclesiam*; nam si dicti capituli verba perpendātur, ibi non dicitur, quod prædicta verba sint formæ, sed quod cōtineantur in forma, & ideo ab ipsa forma sunt distincta, cum non sit idem, sed diuersum cōtinens ab eo, quod continetur, *l.cum tabernam 34. ff. de pignoribus, Panor. in d. c.1. in princ.* asserit in prædicti capituli verbis contineri formam substantialem traditionis pallij, & ideo omnino seruandam, per *tex. in l.traditionibus, C. de pactis.*

16 Hostiensis vero in *Summa de auctoritate, & vsu pallij in Siculi concedendum* ponit sequentem formam. *Ad honorem Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & D. Papæ N. & Ecclesiæ Romanæ, necnon Ecclesiæ N. tibi commissæ tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum in plenitudinem Pontificalis dignitatis, vt eo vtaris intra Ecclesiam tuam diebus, qui exprimuntur in priuilegijs Ecclesiæ tuæ concessis à Romana Ecclesia*, idest à Sede Apostolica, quam formam admittunt etiā, *Glos. in c. ad honorem, in vers. ad honorem, de auth. & vsu pallij, & ibi Anchar. & Goffred. in sum. eodem tit. n.3.* Sequens quidem opinionem dicti *c.1. ac Panor.* & non excludens illam prædictæ *glos.* & prædictorum DD. dico formam substantialem traditionis pallij eā esse, quæ prædicto in *cap.1.* continetur, declarari vero per secundam alle-

gatam

gatam formam, quæ nihil de nouo ponit, niſi declaratoriã, &

17 Probatur primò. Illa eſt forma ſubſtantialis, quæ dat eſſe rei, *l.Diuus, ff. de in integr.reſtit. l.Iulianus 9.§.ſi quis rem, ff.ad exhiben.* ſed per formam in dicto *c.1.* appoſitã datur Archiepiſcopo eſſe Archiepiſcopi, *cap. niſi, de auth. & vſu pallij*, ergo dicta forma eſt ſubſtantialis.

18 Probatur ſecundò. Per traditionẽ pallij Archiepiſcopus conſtituitur in eſſe Archiepiſcopi. *c. quod ſicut 28.§.ſuper eo, de elect. d.c.niſi 3.de auth.& vſu pallij, vbi DD.* ſed per prædictam formam in dicto *c.1.* appoſitã ſufficienter traditur pallium Archiepiſcopo; ergo per illam formam conſtituitur Archiepiſcopus in eſſe Archiepiſcopi, ergo dicta forma eſt forma ſubſtantialis.

Quod per dictam formam ſufficiẽter tradatur pallium, probatur. Traditur per dictam formam pallium ad vtendum, ergo recipitur ad vtendum, ſed vti nõ poteſt, niſi vt Archiepiſcopus, ergo per dictam traditionem conſtituitur Archiepiſcopus in eſſe Archiepiſcopi, ergo ſic palliatus recipit per dictam formã, nomen, dignitatem, ac plenam poteſtatem Archiepiſcopalem, ſed per receptionem nominis dignitatis, & poteſtatis conſtituitur in eſſe Archiepiſcopi, ergo per dictam formam conſtituitur in eſſe Archiepiſcopi: recipit enim pallium, & conſequenter nomen, & dignitatem, & plenitudinem poteſtatis Archiepiſcopalis, *d.c.niſi, vbi DD.*

19 Probatur tertiò. Per alia verba dictæ definitioni ſuperaddita ab Hoſtieñ, & alijs DD. declaratur, vel finis extrinſecus, & mediatus propter quem traditur, vel modus vtẽdi pallio. *c.ex ſuarum 5.de authorit. pallij*, ſed finis extrinſecus, & modus vtendi pallio non ſunt de ſubſtantia traditionis pallij, ſed ſolum quid extrinſecum, ergo dicta alia verba non ſunt de ſubſtantia formæ traditionis pallij; quod prædicta alia verba ſint ſolum declaratoria, probatur primò, per verba ad honorem omnipotentis, &c. declaratur, pallium tradi, vt palliatus eo vtatur ad honorẽ omnipotentis Dei bene adminiſtrando authoritatem ſibi per pallium conceſſam circa cultũ Diuinum, & animarum ſalutẽ, in quibus Dei honor conſiſtit, qui finis eſt aliquod extrinſecum authoritati per pallium conceſſæ, & ideo non de ſubſtantia, ſequentia vero verba, vt eo vtaris, &c. inducunt modum pallio vtendi, ergo non ſunt de ſubſtantia; quod inducant modum, probatur, Modus

20 eſt moderatio diſpoſitioni adiectæ, *l.quod conditionis §.1. ff.de*

ff. de donat. causa mortis, *Bart. in l. quibus diebus*, *§. Termilius*, *n. 1. ff. de condit. & demonstrat.* sed per prædicta verba moderatur præcedens libera concessio vtendi pallio, vt eo vti non possit nisi statutis diebus, ac festiuitatibus, ergo inducũt modum, ergo non sunt de substantia formæ.

21 Probatur quartò. In præcedēti forma subintelligũtur omnia specificè expressa in secunda, ergo non est de essentia illa exprimere, sed ad maiorem declarationem; quia quæ tacitè insunt, pro expressis habentur, *l. cum quid*, *ff. si certum petatur*, *l. hæredes*, *ff. quãdo dies legati cedat*; quod prædicta omnia subintelligantur patet, quia quælibet

22 dispositio recipit interpretationem à consuetudine. *c. cum dilectus*, *de consuetudine*, *l. si de interpretatione*, *ff. de legibus*, *Surdus de alimentis*, *tit. 1. quæst. 66. nu. 4. Menoch. cons. 390. nu. 21. Mascard. de probat. concl. 1415. nu. 10.* ergo traditio, & receptio pallij recipiunt interpretationem à consuetudine, consuetu-

23 do autem est, vt tradatur tantummodo pallium ad vtendum in Prouincia, & Ecclesia propria palliati, & solemnibus diebus, ac functionibus concedi cuilibet Ecclesiæ solitis. *c. cum sis 6. de auth. & vsu pallij*, ergo quando conceditur pallium præsupponitur concedi ad formam concedi solitam, nisi consuetudini derogetur, cum consuetudo sit interpres priuilegiorum, & quæ contra istam consuetudinem sunt, non censentur permissa, nisi exprimantur, *c. 1. §. fin. de constit. in 6.*

24 Probatur quintò. Verba superaddita dictæ formæ denotãt effectus, qui ex ipsa pallij traditione subsequuntur, videlicet vsum illius in tali, & tali loco, talibus diebus, talibus functionibus, sed effectus distinguitur realiter à sua causa; potest enim tradi, & recipi pallium, & tamē illius vsus nō sequi ob mortem, vel infirmitatem palliati, ergo etiam dicta verba superaddita distinguuntur à substantia dictæ formæ, & propterea non sunt de illius substantia.

25 Probatur sextò. Sicut in rebus naturalibus illa est forma substantialis, quæ imponitur à natura, & in artificialibus, quæ imponitur ab arte; ita in rebus canonicis, quæ imponitur à sacris canonibus, sed traditio pallij est res canonica, ergo illa forma est substantialis, quæ imponitur à sacris canonibus, ergo illa attendenda, quæ ponitur in præcitato *cap. 1.*

26 Ad rationem in contrarium allatam, quod verba illa d. *c. 1.* contineantur in forma. Respōdetur primò, hic poni passiuum pro actiuo, & ideo intelligenda, quod contineant formam,

idest,

idest, contineri in forma, & cōtinere formam. Secundò. Respondetur illa verba contineri in forma tanquam substantiam substantialiter informātem actū traditionis pallij, vt differentiā constituat ab alijs verbis, quæ in ipso actu traditionis pallij superaddi possunt solū ad maiorem actus intelligentiam.

Ad *l. cum tabernam.* Respondeo admittendo cōtinens esse quid distinctum à contento, & propterea omnia alia verba superaddita continentia dictam formam, esse quid distinctum à dicta forma, sicut accidens à suo subiecto, & ideo nihil probatur contra nostram sententiam.

CAPVT VII.

Cur Pallium dicatur assumptum de corpore Beati Petri.

SVMMARIVM.

1 *Pallium benedicendum super Altare consecrato Principi Apostolorum.*
2 *Benedicitur à D. Papa super Altare B. Petri, & inde à palliando accipitur.*
3 *Dicitur assumptum de corpore B. Petri, quia sumitur à Patriarchis, & Archiepiscopis catholicis.*
4 *Eminentissimi Cardinales Spinula, & Albornotius recipiunt palliū de manu Vrbani VIII.*
5 *Conciliantur opiniones.*
6 *Canonicus S. Petri Altarista deponit pallia supra corpus Apostolorum.*
7 *Asseruantur inter Sanctorum reliquias.*

1 Aliqui existimarunt, pallium necessario benedicendum super aliquo Altare consecrato Principi Apostolorum B. Petro, atque è dicto Altare palliandum illud recipere, debere, & hanc ob causam, dici assumptum de corpore B. Petri. *Butrius in c. significasti 4. n. 21. de elect. Io: Andr. ibidem n. 12.*

2 Glossa vero *in eodem c. significasti, in verbo corpore assumitur*, asserit, pallium assumptum de corpore B. Petri, quia D. Papa illud benedicit, & consecrat super Altare B. Petri, & ibi pallium relictum recipitur à palliando.

Hoc tamen ab Hostiesi in Summ. loco cit. omnino reprobatur: affirmat enim, contrarium se bis expertum fuisse dum illud accepit.

3 Alij credunt palliũ dici assumptum de corpore B. Petri, idest ab illis Patriarchis, & Archiepiscopis, qui sunt de corpore B. Petri, & Ecclesiæ, cuius est caput Christus Dñs noster, & eius Vicarius Petrus: si enim palliãdus est præsens in Romana Curia, vel illud recipit immediatè à Summo Pontifice prout die 17. Nouẽbris 1630. Eminentiss. Cardinales S.R.E. Augustinus Spinula Archiepiscopus Cõpostellanũ, Aegidius Carillus Albornotius Archiepiscopus Tarentinus pallium receperunt de manu Sanctiss. D. Nostri Papæ Vrbani VIII. in Sacello Burghesiano Basilicæ S. Mariæ Maioris post sacrum ab eodem Sanctissimo ibi peractum ad Altare B. Mariæ Virginis eiusdẽ Sacelli, & præstitum cõsuetum iuramentum in manibus eiusdem Sanctissimi per dictos Eminentissimos Archiepiscopos: vel mediatè per manus Eminentissimi Cardinalis Diaconi antiquioris; & si est absens à Curia Romana, & trãsmittendum sit pallium, illius traditio demandatur vni, vel duobus Archiepiscopis, vel Episcopis per litteras in forma Breuis, vel Bullas Apostolicas, qui sunt de corpore B. Petri.

5 Prædictæ omnes opiniones conciliari simul facillimè possunt, si animaduertamus antiquas, & modernas ceremonias, quibus benedicuntur, & traduntur pallia. Præcedenti enim die festiuitati SS. Apostolorũ Petri, & Pauli sub primis Vesperis demittitur à Canonico Vaticanæ Ecclesiæ Altaristá in sepulcrum eorundem Apostolorum cõpetens numerus palliorum, quæ super eorum corpora pernoctant deposita; sequenti vero die festo ab eodẽ Canonico inde extrahuntur, & & cõsignantur Canonicis Præfectis Sacrarij eiusdem Basilicæ S. Petri interq. Sanctorum Reliquias asseruantur, & cum se offert occasio, pallium inde extrahitur, & ab antiquiori Cardinali Diacono, palliando traditur, vel eius legitimo procuratori, recepto prius ab illo fidelitatis, & obedientiæ Summo Pontifici, & Sedi Apostolicæ iuramento.



CA-

CAPVT VIII.

An de essentia pallij, vt pallium est, sit, vt ponatur prius super corpus S. Petri antequam tradatur palliando.

SVMMARIVM.

1 *Pallium necessario ponendũ super corpus B. Petri.*
2 *Vel saltem benedicendum super Altare dedicatum S. Petro, & num. 3.*
4 *Contrarium affirmat Hostiensis n. 4. probatur, & num. 5.*
6 *Vbi Papa, ibi Roma.*
7 *Locus non sanctificat hominem, sed homo locum.*
8 *Essentia Pallij est, vt recipiatur de manu D. Papæ, & n. 9.*
10 *Mutata, & sublata forma, res censetur mutata, & extincta.*
11 *Pallium cõstituit in suo esse Archiepiscopum.*
12 *Si non emanat à D. Papa nihil confert, & num. 13.*
14 *Euacuantur argumenta in contrarium adducta.*
15 *Pallium asseruandum in capsula serica.*

1 CVm pallium dicatur assumptum de corpore B. Petri insurgit difficultas, an necessario, & essentialiter sit ponendum supra corpus, vel saltem Altare S. Petri, vt rationem pallij habeat, adeo vt, si non ponatur supra corpus, vel saltem Altare S. Petri, non sit pallium.

2 Aliqui tenent pallium necessario ad hoc, vt sit pallium, ponendum esse super corpus S. Petri, vel saltem benedicendum super Altare dedicatum S. Petro; *Butrius in c. significasti 4. n. 21. de elect. Io. Andr. ibidem n. 12. & ibi glos. in verbo, corpore assumuntur Turrecr. in c. 1. n. 5. dist. 100.*

3 Panor. *in d. c. significasti n. 9. & Barbosa de officio, & potestate Episcopi par. 3. allegat. 50. n. 4.* existimant pallium dici assumptum de corpore B. Petri, quia traditio pallij immediatè depẽdet à Romana Ecclesia, & propterea à solo Romano Pontifice Petri successore accipiendũ, & ideo non necessario ponendum super corpus B. Petri.

4 Hostiensis vero *in Sum. in §. cui concedendum, de auth. & vsu pallij* contrarium affirmat videlicet, non esse de essentia, vt pallium ponatur prius super corpus

pus

pus S. Petri, vel benedicatur super Altare consecratum eidem Apostolo, sed satis esse, vt de quocumque Altare sumatur de mandato D. Papæ, & de Altare Capellæ D. Papæ se pallium recepisse testatur: & in suæ sententiæ confirmationem affert illud Ioannis 21. *Qui vidit, & recepit, testimonium perhibet, & scimus, quia verum est testimonium eius*, si igitur de essentia pallij esset, vt poneretur prius super corpus B. Petri, vel esset sumendum de Altare S. Petri, semper esset ponendū, & assumendum, sed non semper ponitur, & assumitur, vt exemplo sui asserit Hostieñ, ergo non est de essentia, vt ponatur, & inde assumatur.

5 Obijciet aliquis, fuisse multo ante huiusmodi pallia posita super corpus S. Petri, vel super Altare illius benedicta, & postea ex Altare Capellæ D. Papæ sumi quando alicui traditur, cum ex ceremoniale Romano pateat palliū reponi super Altare quando alicui tradendum, vt moris est de alijs sacris vestibus Archiepiscopi, vel Episcopi celebraturi, quæ semper super Altare sacrificij apponuntur, antequam illis Archiepiscopus, vel Episcopus induatur, nec tunc benedicuntur, sed prius fuerant benedicta, ergo oculatum Hostiensis testimonium solum probat pallium à se assumptum de Altari Capellæ D. Papæ, non autem negat prius positum fuisse super corpus, vel benedictum super Altare S. Petri, & consequenter remanet intacta conclusio de essentia pallij esse, vt ponatur prius super corpus, vel benedicatur super Altare B. Petri.

6 Respondeo, gratis hoc dici. Primò, quia Hostieñ expresse afferit verba illa ad honorem, vel de corpore B. Petri intelligenda esse de corpore B. Petri videlicet assumi ab illis Archiepiscopis, qui sunt de corpore B. Petri, & Ecclesiæ, cuius caput est Christus, & eius Vica-

7 rius est Petrus, idque totum confirmat, quia non vbi Roma est, ibi est Papa, sed è conuerso vbi Papa, ibi Roma: Locus

8 enim non sanctificat hominē, sed homo locum, *c. multi Sacerdotes, dist.* 40. & res accedunt hominibus, & non è conuerso, ex quibus apertè probat de essentia pallij non esse necesse, vt ponatur super corpus B. Petri, vel super illius Altare benedicatur, sed satis esse, vt emanet de manu D. Papæ.

9 His positis dico non esse de essentia pallij, vt ponatur super corpus, vel Altare S. Petri, sed necesse esse, vt emanet, & accipiatur de manu D. Papæ, alias non habet rationem pallij, nisi materialiter.

10 Quod probatur primò. Illud

lud eſt de ratione, & eſſentia alicuius, quod conſtituit in ſuo eſſe formali, ſed emanatio de manu D. Papæ conſtituit pallium in ſuo eſſe formali, ergo emanatio de manu D. Papæ eſt de ratione, & eſſentia pallij;

11 Maior patet, quia mutata, vel ſublata forma, quæ dat eſſe rei, cenſetur mutata, & extincta res *l. Iulianus 9. §. ſi quis rem, ff. ad exhiben. & l. Seia 6. ff. de*

12 *auro, & argento legato.* Minor probatur. Pallij eſſentiale eſt conſtituere Archiepiſcopũ in ſuo eſſe Archiepiſcopali, adeo vt ſine pallio nec nominari Archiepiſcopus poſſit *c. quod ſicut, de elect. c. niſi 3. de auth. & vſu pallij, vbi gloſ. in verbo nominis;* ſed ſi non emanet, & accipiatur de manu D. Papæ non conſtituit Archiepiſcopum in eſſe Archiepiſcopali, ergo emanatio, & receptio de manu D. Papæ eſt de ratione, & eſſentia pallij.

13 Minor probatur. Actus traditionis, & receptionis pallij ſecundum ſe conſideratus, & independenter à D. Papa, nec dignitatem, nec iuriſdictionem conferet, alias prout prouenit ab illius fabricatore cõferret, quod omnino abſurdũ eſt dictu, immo ſi pallium poſitũ ſuper corpus S. Petri traderetur à Cardinali Diacono antiquiori alicui, inconſulto D. Papa, non conferret dignitatem, vel iuriſdictionem, cum omnis Eccleſiaſtica dignitas, & poteſtas ſolum à Papa, tanquam à capite profluat. *c. in nouo teſtamento, diſt. 21. c. loquitur 24. quæſt. 1.* ergo de eſſentia pallij eſt emanatio, & receptio de manu D. Papæ.

14 Ad rationem primæ ſententiæ, reſpondetur de eſſentia pallij eſſe, vt aſſumatur de corpore B. Petri, ideſt de manu D. Papæ, & ab illis Archiepiſcopis, qui ſunt de corpore Eccleſiæ, cuius caput eſt Chriſtus, & eius Vicarius Petrus.

15 Nota hic per tranſennam cum *Caſtal. in prax. cæremon. lib. 1. ſect. 10. c. 10. n. 9.* Pallium ob tantam antiquitatis ſuæ venerationem, illiuſque authoritatem aſſeruandum ſerico obuolutum, in capſula intus, & extra pulchrè ornata.



CA-

CAPVT IX.

An liceat Archiepiscopis vltra tres menses differre petitionem pallij.

SVMMARIVM.

1 *Vsus pallij competit Archiepiscopis ex priuilegio.*
2 *Priuilegiatus potest renunciare suo priuilegio obtento, multo maius obtinendo.*
3 *Ex consuetudine differtur petitio pallij.*
4 *Sublata pœna, censetur sublata obligatio.*
5 *Archiepiscopi tenentur petere pallium intra tres menses à die consecrationis, & n.6.*
7 *Non possunt abesse à sua Ecclesia vltra tres menses.*
8 *Idem est non residere, & ex propria culpa inutiliter residere.*
9 *Vidua est Ecclesia, quæ pastorem inutilem habet.*
10 *Pœna imposita alicui actui, illius vitium arguit.*
11 *Archiepiscopus priuatur sua Ecclesia, si differat petere palliũ.*
12 *Limitatur quando impeditur petere.*
13 *Impedimẽta legitima, quæ sint, & num.14.15.16.*
17 *Pallium habet necessariã connexionem cum Archiepiscopali dignitate.*
18 *Priuilegium pallij dignitati, & non personæ concessum.*
19 *Consuetudo quãdo admittat dilationem petendi pallium.*
20 *Mora infra mensem purgatur.*
21 *Dilatio annua ex iusta causa conceditur.*
22 *Rigor in petendo abijt in dissuetudinem.*
23 *Priuatio Ecclesiæ requirit sententiam D. Papæ.*

1 CVm vsus pallij necessariã non habeat cõnexionem cum Metropolitis dignitatibus, & Ecclesijs, vt supra ostendimus, nõ videntur Archiepiscopi compelli posse ad illud petendum, & eo magis, quia vsus pallij competit ex priuilegio, *c. fin. de auth. & vsu pallij*, & ideo possunt differre ad libitũ illius petitionem.

2 Secundò. Priuilegiatus potest renunciare suo priuilegio iã obtento, *c. si de terra, vbi glos. in verbo renunciasse, c. accedentibus, vbi glos. in ver. renunciasse, de priuilegijs*, ergo multo magis obtinendo. In inuitũ enim non confertur beneficium, *l. fin. C. vnde legitimi, l. nec emere, C. de iure deliber. l. inuito, ff. de reg. iuris*, ergo in Archiepiscopi arbitrio est petere, vel non petere pal-

 lium,

lium, ergo quandocũq. post cõsecrationẽ potest illud petere.

3 Tertiò. Ex cõsuetudine differtur petitio pallij absque pœnæ incursu, vt asserit *Panor. in c. ad honorem, n. 8. de auth. & vsu*

4 *pallij*, sed sublata pœna censetur sublata obligatio, cum pœna sequatur culpam, quæ nascitur ex obligatione. *Surd. decis. 177. n. 19. Couar. variar. resolut. l. 2. c. 8.* ergo Archiepiscopus non tenetur intra tres menses petere pallium.

5 His non obstantibus dicendũ est Archiepiscopos teneri infra tres menses à die suæ cõsecrationis, & si alias erat consecratus, à die suæ confirmationis, & præconizationis petere palliũ à Sede Apostolica, *Turrecr. in c. 1. dist. 100. n. 14. & ibi Archid. n. 2. Io. Andr. in c. ad honorẽ, n. 8. de auth. & vsu pallij, & ibi Butrius n. 9. & Anchar. & Panor. n. 8. Archid. in c. quoniã, n. 2. dist. 100. Bellam. d. c. ad honorem, n. 15. & ibi Io. de Imola; Azor. instit. moral. par. 2. lib. 3. c. 24. quæsito 3.*

6 Probatur primò, ex d. c. 1. *dist.* 100. ibi enim statuitur, vt quisquis Metropolitanus vltra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam, palliumq. suscipiendum ad Sedem Apostolicam non miserit, commissa sibi careat dignitate, ergo non possunt Archiepiscopi vltra tres menses differre petitionem pallij.

7 Probatur secundò, Archiepiscopi ex *Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de reformat.* nõ possunt abesse à sua Ecclesia vltra tres mẽses singulis annis; sed si differũt vltra tres menses pallium petere, censentur abesse à sua Ecclesia vltra tempus concessum;

8 quia paria sunt non residere, ac ex sua culpa inutiliter residere;

9 *arg. l. quoties, ff. qui satisdare cogãtur*, vbi quoties vitiosè cautum est, pro non cauto habendum est. Immo Ecclesia viduata dicitur, quæ licet pastorem habeat, inutilem tamen perhibetur habere, *c. 2. §. sed neque, de translat. Episcopi*: cum ante receptionem pallij non possint Archiepiscopalia exercere: immo nec nominari Archiepiscopi, *c. nisi 3. de auth. & vsu pallij*, ergo non possunt differre petitionẽ pallij vltra tres menses.

10 Tertiò probatur. Pœna pro aliquo actu imposita arguit illius vitium, & prohibitionem, *l. sancimus 22. C. de pœnis, c. 2. de his, quæ fiunt à maiori parte ca-*

11 *pit. c. non afferamus 24. quæst. 1.* sed imposita est pœna priuationis Archiepiscopatus contra non petentem palliũ intra tres menses, d. *c. 1. dist.* 100. ergo arguit illius vitium, & prohibitionem, ergo Archiepiscopus debet petere pallium infra tres menses à die suæ consecrationis, vel confirmationis si est translatus, vt per DD. supracit.

12 Li-

12 Limitant tamen, quãdo adest legitimum impedimentum. *Io. Andr. Panor. Butrius, Anchar. Bellamer. Io. de Imola, Archid. locis cit.* quia impedito non currit tempus, *c. quia diuersitatem 5. de cõcessione praeben. c. fin. de elect. c. quam sit 6. §. fin. eodẽ tit. in 6. vbi glos. in ver. isto impedimento, l. 1. §. fin. C. de annali except. l. fin. C. de iure deliberandi.*

13 Legitimum vero impedimẽtũ, ex quibus causis oriri, vt dignoscatur, aliquas attingam, ex quibus caeterae elici poterũt ob rationis similitudinem: similis enim aequitatis ratio similia iura suadere debet *l. fin. C. ad l. Falcid. c. cum dilecta, de confir. vtili, & inutili,* cum parium in eo, in quo sunt paria, sit eadem iuris dispositio. *c. inter corporalia, c. 2. §. sicut enim, de translat. Episcopi.*

14 Primò igitur est mors Nuntij in via, vel eius infidelitas, *Butrius in c. ad honorem, n. 12. de auth. & vsu pallij:* dummodò habita impedimẽti huiusmodi notitia statim, ac cõmodè poterit, mittat aliũ intra tres menses à die habitae notitiae, *argum. c. si electio, de elect. in 6.* & impedito secundò, mittere tertiũ, & sic in infinitum, *l. 2. §. si mater, ff. ad Senat. Consf. Tertyllian. Bellam. in d. c. ad honorem, n. 8. & ibi Io. de Imola.*

15 Secundo. Infirmitas electi, *glos. in Clem. 1. §. caeterum, in verbo, rationabili causa, de statu Monach. Rebuff. in praxi beneficiali, tit. de non promotis intra annum, num. 47.*

16 Tertiò. Violenta detentio electi. *c. significante, de pignorib.* Quartò. Nimia loci distantia, itineris difficultas, *Bellam. loco cit.*

17 Ad argumenta in contrariũ allata. Respõdeo primo ad primum hodie pallium habere talem connexionem cũ Archiepiscopatu, vt sine eo quis non possit, ne quidẽ vocari Archiepiscopus, vt supra probauimus, & ideo vis argumenti corruit omnino.

18 Ad secundũ respondeo priuilegium pallij esse concessum Archiepiscopali dignitati, & nõ personae, & ideo Archiepiscopus non potest illi renunciare. *c. contingit, il 1. vbi DD. communiter, de sent. excom.*

19 Ad tertium respondetur ex consuetudine differri petitionẽ pallij, quando adest legitimum impedimentum, quod nos etiã admittimus, secus esse quando nullum adest impedimentum, & ideo nulla vis argumenti.

20 Nota cum *Archid. in c. quoniam, n. 3. & cum Turrecr. in c. Archiepiscopos, n. 3. dist. 100.* moram petendi pallium posse purgari intra paucos dies, idest infra mensem, *argum. c. inter corporalia, de translat. Praelat.*

21 Nota secundò cũ *Bellamera loco cit. n. 5.* ob iustam causam dari dilationem vnius anni, &

plus per *c. cõstitutum 7. quæst.* 1. *c. quoniam quidem, dist.* 75. im-
22 mo ibidem ait cum Hostiense huiusmodi rigorem abijsse in dissuetudinem, quia nec Romana Ecclesia illum seruat ad vnguem, *argum. c. in istis, S. leges, dist.* 4.

23 Nota tertiò cum *Hostiense*, & *Bellam. loco cit.* huiusmodi priuationem non incurri ipso facto, sed requiri sententiam D. Papæ, quos sequuntur *Archid. in d. c. quoniam*, & *Io. ab Imola in d. c. ad honorem*.

CAPVT X.

An Episcopus, qui ex peculiari priuilegio habet vsum pallij teneatur intra tres menses petere pallium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus Hostiensis habet vsum pallij.*
2 *Dubitatur, an teneatur petere pallium intra tres menses.*
3 *Aequiparatorũ eadem iuris dispositio, & num. 4. 5. & 6.*
7 *S. Gregorius negat pallium Desiderio Viẽnensi Metropolitæ.*
8 *Pœna statuta in vno ex æquiparatis habet locum in alio.*
9 *Episcopus nõ tenetur petere pallium intra tres menses.*
Aequiparatur Archiepiscopo in solo vsu honorario pallij.
10 *Propositio generalis nõ restringitur ad vnum determinatũ.*
11 *Lex non extenditur ad non expressa.*
12 *Onera tantum inducenda, quæ exprimuntur.*
13 *Gratia non retorquenda in dispendium eius, cui conceditur.*
14 *Episcopus palliatus in quibus æquiparatur Archiepiscopo.*
15 *Pallium diuersimodè cõpetit Archiepiscopo, & Episcopo.*
16 *Negatur pallium Metropolitæ Viennensi, quia non habebat vicem Sedis Apostolicæ.*
17 *Episcopus palliatus si abutitur vsu pallij eodem modo puniendus, & Archiepiscopus, & n. 18.*

1 EPiscopus Hostiẽsis ex peculiari priuilegio Marci Papæ huius nominis Primi, anno Incarnationis D. N. IESV Christi 336. Pontificatus dicti Papæ primo obtinuit vsũ pallij. Posito hoc priuilegio, quod ad successores in dicto Episco-
2 patu transit; oritur difficultas, An Episcopus prędictus teneatur intra tres menses à die suæ consc-

consecrationis petere pallium.

3 Ratio dubitandi est, quia æquiparatorum est eadem iuris dispositio, *l.1. ff. de legat.1. Glos. in l. si quis furto, C. de furtis, & in c. si postquam, §. fin. de elect. in 6. Menoch. de arbitr. casu* 88. *n.*8. sed Episcopus Hostiensis æquiparatur Archiepiscopis p̄ pallij vsũ, per quod Archiepiscopi constituuntur in esse Archiepiscopi, ergo sicut Archiepiscopus tenetur intra tres mẽses à die suæ consecrationis petere palliũ, ita etiam Episcopus Hostiensis, ergo sicut Archiepiscopus nõ potest ante pallij receptionẽ se nominare Archiepiscopũ, & Pontificalia exercere, ita nec Episcopus Hostiẽsis poterit se nominare Episcopũ, & Pontificalia exercere.

4 Secundò probatur. Per pallium confertur plenitudo, idest plena exequutio in his, quæ sũt ordinis, & iurisdictionis, *Io. And. in c. nisi n.*2. *& ibi Anchar. n.*1. *de authoritate, & vsu pallij*, ergo ante illius receptionem non potest Episcopus Hostieñ, posito quod illius Ecclesia sit palliata, idest priuilegiata pallio, quæ sunt ordinis, vel iurisdictionis exercere.

5 Tertiò probatur. Episcopus abesse à sua Ecclesia nequit vltra tres menses à die consecrationis per *Concilium Trident. sess.*23. *c.*1. *de reformat.* ergo intra tres menses tenetur petere pallium, alias inutiliter resideret, quia non posset exercere, quæ sunt ordinis, & quæ sunt iurisdictionis, & propterea haberetur, ac si non resideret, *argum. l. quoties, ff. qui satis dare cogantur*.

6 Quartò probatur. Vsus pallij ex mero priuilegio cõpetit tam Archiepiscopis, quã Episcopis, quia tunc solum conceditur sacris Præsulibus, quando vices gerunt Apostolicæ Sedis, vt declarauit Vigilius Papa in sua *Epistola ad Auxanium Arelatensem*, & propterea S. Grego-
7 rius Papa illud negauit Desiderio Viennensi Metropolitæ, qui pallium petebat ex antiquo suæ Ecclesiæ iure. *Epist. enim sua* 116. *lib.*7. *Epist. Indict.* 2. quia de hoc indulto in Romanæ Ecclesiæ scrinijs, nihil reperiebatur; ergo nõ est maior ratio, cur intra tres menses à die cõsecrationis Archiepiscopus teneatur petere pallium, & non teneatur Episcopus, & interim non debeant vterque à Pontificalibus exercendis abstinere, cum vtrisque cõpetat ius pallij ex priuilegio.

8 Quintò probatur. Quando duo sunt æquiparata, pœna statuta in vno habet locum in alio, vt notat *Bart. in l. si quis seruo, C. de furtis, per glos. ibi, & in l. vt tantum, ff. de seruis corruptis, glos. in c. si postquam in glos. fin. de elect. in 6. & in c. de*

multa, de preb. Decius in l. in pœnalibus nu.13. ff. de regul. iuris, sed Archiepiscopus, & Episcopus palliatus æquiparantur in vsu pallij, ergo quod fuit statutum in Archiepiscopo circa petitionem pallij, habebit locum in Episcopo palliato.

9 Contrariam tamen sententiã existimo veriorem, quia non in omnibus æquiparatur Episcopus palliatus Archiepiscopo, sed solum in simplici honorario vsu pallij; non enim concessio pallij eleuat Episcopum à suo Episcopali statu, & officio ad eminentiora, sed conseruat in eodem primæuo statu, & officio, & ideo appellatur, vt prius, Episcopus, & cum non sit variatum nomen, præsumitur non variatus status, *arg. l. si idem, C. de Codicillis, Card. Tusc. tom.2. litt. D. concl.517. Seraph. decis.1137. n.3.*

Probatur secundò. Petitio pallij intra tres menses à die consecrationis specificè iubetur Archiepiscopis, *c.1. dist.100.* ergo

10 non extenditur ad alios, cum ordinatio ad hoc vt generalis conseruetur, nõ debeat ad vnũ determinatè restringi; genus enim vt remaneat in suo esse generico, non debet actu specificari, & determinari per aliquam speciem, *arg. l.2. ff. de liber. & posth. l. si optio, ff. de optione legali*, quia genus tunc non potest verificari nisi in vna specie, & propterea reputatur species.

11 Tertiò probatur. Lex petendi pallium intra tres menses à die consecrationis, si voluisset comprehendere Episcopos palliatos, expressisset, iuxta regulam, *l. vni, §. sin autem ad deficientis, C. de caduc. tollen. l. si seruus, §. Prætor ait, vers. non dixi, ff. de acquirenda hæreditate, c. ad audientiam, il 2. de Decimis, c. 2. de translat. Prælatorum, Tiraquell. in l. si vnquam, ver. libertis, n.3. C. de reuocand. donation. Menoch. cons.1. n.178.* sed nullibi reperitur expresũ, quod lex voluerit obligare Episcopum palliatum ad petendũ pallium intra tres menses à die consecrationis, ergo non præsumitur comprehendere Episcopum.

12 Probatur quartò. In oneribus imponendis ea solum inducenda sunt, quæ exprimuntur, *c. is qui 18. de sent. excom. in 6. vbi DD. communiter, gloss. in c.2. verbo debitum, de cognatione spirituali*, sed obligatio petendi pallium intra tres menses à die consecrationis est onus, quod sine incursu pœnæ dimitti nequit, *d. c.1. dist.100.* ergo tunc solum inducenda, quando exprimitur; sed dicta obligatio non exprimitur, quoad Episcopos palliatos, ergo non est inducenda, ergo Episcopi non sunt tali obligatione onerandi,

ergo possunt differre pallij petitionem, & interim Pontificalia exercere.

13 Quintò probatur. Quod ob gratiam alicui conceditur, non est in eius dispendium retorquendum, *c. quod ob gratiã 61. de regul. iuris in 6. l. legata inutiliter, ff. de adimend. legat.* sed pallium est concessum Episcopo ob gratiam, ergo non est retorquendum in eius dispendiũ. Retorqueretur enim in eius dispendium, si teneretur sub pœna priuationis Episcopatus petere pallium intra tres menses à die consecrationis, & interim abstinere à Pontificalibus, ergo nullo modo hoc dicendum.

14 Ad argumenta in contrariũ allata, & primo ad primum, respondetur Episcopos palliatos esse æquiparatos Archiepiscopis quoad simplicem vsum pallij, & non in reliquis omnibus, adeo vt illo vti nequeant nisi in sua Diœcesi, & diebus sibi præscriptis, sed non in locis exemptis, etiam si in sua Diœcesi illa existant, hoc enim est peculiare priuilegium Archiepiscoporum, per *Clem. Archiepiscopo 2. de priuilegijs*, & quæ conceduntur ratione dignitatis non extenduntur ad alios dicta dignitate carentes, vt aduertit *Ripa in l. Centurio 18. ff. de vulgari, & pupillari*, ergo non valet illatio Episcopus habet vsũ pallij, ergo in omnibus æquiparatur Archiepiscopis, prout infert primum argumentum.

Ad secundum respondetur, per pallium conferri plenitudinem, idest plenam exequutionem eorum, quæ sunt ordinis, & iurisdictionis Archiepiscopalis, non autem Episcopalis. *c. nisi 3. de auth. & vsu pallij*, & ideò argumentum indè sumptum nihil probat.

Ad tertium respondetur negando consequens; nam Episcopus ante receptionem pallij post suã consecrationem potest exercere omnia iura Episcopalia, vt supra probauimus, & ideò vtiliter residet.

15 Ad quartum respondetur. Pallium non eodem modo cõpetere ex priuilegio Archiepiscopis, & Episcopis: illis enim ex eo, quod Archiepiscopatuũ suorum ratione, vices soleant gerere Sedis Apostolicæ in suis Prouincijs, debetur de iure priuilegium pallij, adeo vt iuridicè possint tale priuilegium petere, cum in tali priuilegio fundetur eorum dignitas, *d. c. cum sis, de auth. & vsu pallij*, & per illud dignoscantur ab Episcopis, vt notat *Turrecrem. in cap. Prisca, n. 2. dist. 100.* ideo tenentur pallium petere intra tres menses à die suæ consecrationis, & interim, nec Archiepiscopi nominari possunt, quod non est in Episcopis, quorum dignitas non fundatur in dela-

tione pallij; immo ex illius nō delatione dignoſcuntur ab Archiepiſcopis, vt ſupra diximus.

16 Ad illud de pallio negato Viennenſi Metropolitæ. Reſp. primò fuiſſe illi pallium denegatum, quia nondum eius Eccleſia fuerat euecta ad Sedem Archiepiſcopalem, & ideo non potuerat ſibi de iure petere vsū pallij. de anno enim Chriſti D. N. 512. Eccleſia Viennenſis nondum erat elata ad Archiepiſcopalem dignitatem, vt ex *Baronio in annalibus ſub dicto anno*.

Secundo reſpondetur. Ideo fuiſſe denegatum pallium, quia nondum vicem Sedis Apoſtolicæ gerendi in Viennenſi Prouincia indultum habuerat.

17 Ad quintum reſpondetur. Epiſcopos palliatos, fuiſſe ęquiparatos Archiepiſcopis in ſimplici honorario vſu pallij, & ideo pœnam ſtatutam contra abutētes vſu pallij eodem modo ligare vtroſque; non propterea inde ſequitur, quod Epiſcopus palliatus teneatur intra tres menſes petere pallium, ſicut Archiepiſcopi, cum hoc ſit onus, & propterea non inducendum, niſi exprimatur, vt ſupra diximus.

18 Secundò reſpondetur. Epiſcopos palliatos eſſe æquiparatos Archiepiſcopis in ſimplici vſu pallij, & ideo ſi eo abutuntur, debent puniri, vt Archiepiſcopi, ſed negatur ſequela, & argumentum ſi aliquid probat, ſolū probat de vſu pallij, quod nos concedimus, non autem de illius petitione.

CAPVT XI.

An Archiepiſcopi tantum titulares teneantur petere Pallium, & interim abſtinere à Pontificalibus.

SVMMARIVM.

1 *D. Papa vniuerſalis paſtor.*
2 *Archiepiſcopos, & Epiſcopos vocat in partem ſollicitudinis.*
3 *Pallij receptio requiritur ad plenitudinem officij.*
4 *Plenitudo officij in quo conſiſtat.*
5 *Patriarchæ, & Archiepiſcopi titulares tantum non videntur egere iſta plenitudine officij.*
6 *Inanis eſt potentia, quæ non poteſt reduci ad actum.*
7 *Archiepiſcopi titulares, quando habeant ſolum nudum nomē Archiepiſcopi.*

8 *Ar-*

8 *Archiepiscopi, qui habent Prouincias liberas, cur non debeāt se appellare Archiepiscopos ante pallij receptionem.*
9 *Ratio est anima legis.*
10 *Archiepiscopi titulares non possunt se appellare Archiepiscopos ante pallij receptionem, & num.11.*
12 *Res nostra fit quando eius recepimus possessionem.*
13 *Dignitas Archiepiscopalis non à Territorio, sed à voluntate Papæ dependet.*
14 *Impeditū territoriū non liberat à petitionis pallij obligatione.*
15 *Archiepiscopus tenetur facere quantum in se est, vt reddatur habilis ad ea, quæ dignitas exposcit.*
16 *Argumenta cōtraria diluuntur, & num.17. 18. 19. 20.*

1 CVm D. Papa sit communis, & vniuersalis Pastor loco Diui Petri, *c. quoniam verus 24. quæst.1.* & Christi Vicarius, *c. inter corporalia 2. de translat. Episcop.* & propterea ad eū spectat cura vniuersi gregis, Christique oues deperditas, & errantes quærere, & cū nequeat per se ipsum omnia explere,
2 hinc est, quod singularum Ecclesiarū curam demandare soleat mediatis Pastoribus, quos in partem sollicitudinis vocat. *c. qui se scit 2. quæst.6. S. Thom. 2. dist.44.* & ideo nonnullis etiā Ecclesijs tyrannide Paganorū, & Hæreticorum occupatis, & depressis ob inscrutabilia Dei iudicia non deest suos assignare Pastores, qui assiduis precibus illi gregis Christi parti cōpressæ, quam nequeūt sua præsentia, & actuali directione sustinere, atque ad Christi ouile reducere, saltem valeant opitulari.

Inter prædictas ouium errantium Ecclesias aliquæ sunt Patriarchales, & Archiepiscopales, quibus etiam vsus pallij competeret. Quæritur, an electi, & confirmati ad prædictas Ecclesias debeant recipere palliū, & ante illius receptionem possint se nominare Patriarchas & Archiepiscopos, & videtur posse.
3 Pallij enim receptio solum necessaria est ad plenitudinem officij in Patriarchis, & Archiepiscopis. *c. nisi, de auth. & vsu pallij. Hostien. in sum. eodem tit.*
4 *n.2.* Hæc autem plenitudo officij secundū omnes ferè DD. consistit in indicendo Cōcilio, Crisma conficiendo, dedicandis Basilicis, ordinandis suis Clericis, Episcopis suis Suffraganeis, & Altaribus consecrandis, quæ nō possūt Patriarchæ, & Archiepiscopi ante pallij receptionē,
5 Patriarchæ vero, & Archiepiscopi titulares quidem ab horum onere immunes sunt, cum non possideant sua territoria, & Prouincias, & consequenter non habeant Clericos, & Suf-

fra-

fraganeos Episcopos sub sua obedietia, & iurisdictione, ideo pallij receptio eis nihil prodest, & consequenter non est necesse, vt recipiant pallium; daretur enim eis potestas, quæ nunquã potest reduci ad actũ,
6 & inanis est hæc potentia, quæ nõ potest reduci ad suum actũ. *l. nam is, ff. de dolo, c. olim 2. de restit. spoliat.*

Quod autem hæc potentia vtendi pallio non possit reduci ad actum ex defectu Prouinciæ, patet ex *c. ad supplicationem, de renunciat.* vbi Archiepiscopo, qui renunciauit Ecclesiæ, solum permittitur exercere Pontificalia sine pallio, & propterea eo ipso, quod Summus Pontifex aliquem eligit in Archiepiscopum cuiusuis dictarum Ecclesiarum, potest se appellare Archiepiscopum, & exercere Põtificalia, & alienos Clericos ordinare, & Episcopos consecrare, quando inuitatur, vt per *Concil. Trident.*

Secundò probatur. *c. nisi, de author. & vsu pallij*, cui maximè nititur contraria sententia, loquitur de ijs Archiepiscopis, qui habent propium territorium liberum, & Prouincias sub sua potestate, in quibus possunt, & tenentur exercere plenitudinem officij Archiepiscopalis,
7 hoc autem non militat in ijs Archiepiscopis, qui solum nudum habent nomen suorum Archiepiscopatuum, ergo non est necesse, vt isti recipiant pallium.

8 Tertiò. Archiepiscopis, qui habent Prouincias liberas, & expeditas à tyrannide, Paganorum, & Hæreticorum iugo, ideo est impositum ante receptionẽ pallij ne audeant se appellare Archiepiscopos, & exercere Pontificalia, vt sic solliciti sint ad recipiendam eam plenitudinem potestatis, quam requirit eorum officium, ne diù inutiles propria culpa sint regimini suarum Ecclesiarum, & populorum sibi creditorum, sed hæc ratio non militat in ijs Archiepiscopis titularibus, qui carent territorio, Prouincia, & subditis, ergo Archiepiscopis titularibus non videtur impositum, vt ante receptionẽ pallij nominare se nequeant Archiepiscopos, & Pontificalia exercere, quando inuitantur.

9 Minor per se patet, confirmatur consequentia. Ratio est anima legis, *l. cum ratio, ff. de bonis damnat.* cessante ratione cessat lex. *c. consuetudo, dist. 1.* nulla autem alia assignari potest ratio, cur sit impositũ Archiepiscopis, ne se nominent Archiepiscopos, & Pontificalia exerceant ante pallij receptionem, nisi commodum, & imminens damnum Ecclesiarum, ergo cessantibus commodo, & dãno huiusmodi, cessat lex impo-

positionis huiusmodi; sed ista cessant in Archiepiscopis tantũ titularibus, ergo in istis cessat lex, ergo isti statim post suam electionem, & confirmationem possunt se nominare Archiepiscopos, & post consecrationem exercere Pontificalia.

10 His non obstantibus dicendum existimo Archiepiscopos tantum titulares non posse statim post sui electionem, & confirmationem se appellare Archiepiscopos, & post consecrationem exercere Pontificalia, nisi prius recipiant pallium, & moueor.

11 Primò. Ex d. *c. nisi*, vbi habetur per pallij receptionem conferri Archiepiscopalis nominis appellationem, ergo ante receptionem pallij non est collata Archiepiscopalis nominis appellatio, ergo non potest se appellare Archiepiscopum.

12 Secundò. Nemo potest rem aliquam appellare suam antequam illius possessionem accipiat, *l. naturalem*, *§. illud quaesitum*, *ff. de acquir. rerum domin.* ergo Archiepiscopus electus non potest appellare suam dignitatem Archiepiscopalem, antequam illius possessionem recipiat; Archiepiscopalis autem dignitatis possessionem nõ recipit Archiepiscopus nisi per pallij receptionem. *c. quod sicut* 28. *§. super eo*, *de elect.* ergo ante pallij receptionem non potest dicere suam dignitatem Archiepiscopalem, ergo neque se appellare Archiepiscopum.

13 Tertiò. Impedita territorij possessio non aufert dignitatem Archiepiscopalem, quae non à territorio, sed à volũtate D. Papae dependet, à quo profluit omnis dignitas Ecclesiastica in alios. *c. in nouo testamento*, *dist.* 21. *c. loquitur* 24. *quaest.* 1. ergo neque auferre illius possessionem, & per consequens neque pallij receptionem. ergo si electus vult recipere possessionem dignitatis Archiepiscopalis, debet recipere pallium, per quod intratur in possessionẽ Archiepiscopalis dignitatis.

14 Quartò. Si Archiepiscopus tantum titularis nõ tenetur petere, & recipere pallium; ea potissimum, & vnica ratio esset, quia ex defectu impediti territorij probabiliter habiturus nũquam esset opus exercitio plenitudinis officij Archiepiscopalis, sed haec non liberat ab obligatione petendi, & recipiẽdi pallium; ergo tenetur petere, & recipere: quod autem haec sit vnica, & potissima ratio, patet; alias enim nõ receptio pallij verteretur in praeiudicium populi sub Archiepiscopali officio constituti, qui ex sui pastoris impotentia nõ posset debitum sibi subsidium recipere. Quod vero haec ratio non eximat ab obligatione petendi, &

15 re-

15 recipiendi pallium, patet similiter, quia in d. *c. nisi*, S. Pontifex decreuit per pallij tantum traditionem tradere nomen Archiepiscopale, & plenitudinem Archiepiscopalis officij.

Secundò. Quia Archiepiscopus quantum in se est tenetur totũ id adimplere, per quod reddatur habilis, & idoneus ad exequendum id, quod eius officiũ exposcit; adeovt, si ad eum accederet aliquis ex sua Diœcesi, vel Prouincia, qui vellet ordinari, vel confirmari, possit illũ ordinare, & confirmare, & ideo tenetur petere, & accipere pallium, per quod traditur cum plenitudine officij Archiepiscopalis nominis appellatio.

16 Ad argumenta in contrariũ allata, respondeo, & primo ad primum negando receptionem pallij solum seruire ad plenitudinem officij; seruit etiam ad nominis Archiepiscopalis appellationem d. *c. nisi*.

17 Ad illius confirmationem, quod inanis sit potentia, quæ non potest reduci ad actum, primò, Respondeo non habere locum in casu nostro, quia Archiepiscopus licet habeat Prouinciam impeditam; attamen non est impossibile, quod detur casus ordinandi, vel confirmãdi eius subditos.

18 Secundò. De plenitudine Archiepiscopalis officij est etiã Archiepiscopalis nominis appellatio d. *c. nisi*; & ideo hæc plenitudo non est simpliciter inanis.

19 Ad secundum respondetur negando d. *c. nisi*, comprehendere solum Archiepiscopos, qui habent territorium, & Prouinciam liberã, generaliter loquitur, & ideo omnes comprehendit.

20 Ad tertiũ respondetur obligationem petendi, & recipiendi pallium ideo esse impositã, vt Archiepiscopi sint solliciti ad faciendum id, quod eorum officium exposcit; officium autem Archiepiscopale exposcit, vt electus quanto citius petat pallium ad perficiendã electionem de sua persona factam, quæ quidem perficitur per assecutionem nominis Archiepiscopalis; hoc autem non assequitur nisi per pallij receptionem, vt supra probauimus, & ideo argumentũ nihil probat.



CAPVT XII.

Archiepiſcopus an poſſit per ſe ipſum, & per ſuum Procuratorem, vel potius debeat Eccleſiæ Capitulum petere Pallium.

SVMMARIVM.

1 *Capitulum, & Canonici repræſentant corpus Eccleſiæ.*
2 *Prælatus ſine Capitulo non poteſt agere negocia magni momenti.*
3 *Archiepiſcopus ante pallij receptionem non poteſt ſe appellare Archiepiſcopum.*
4 *Capitulum debet inſtare apud Sedem Apoſtolicam pro neceſſitatibus ſuæ Eccleſiæ.*
5 *Canonici, & Capitulum repræſentant Eccleſiam Cathedralem.*
6 *Indignum eſt ſibi quærere honorem Eccleſiaſticum.*
7 *Archiepiſcopus electus debet per ſe ipſum, vel per ſuum procuratorem petere pallium.*
8 *Pallium datur ſortiter petenti.*
9 *Formula petendi pallium.*
10 *Per confirmationem electionis acquiritur ius in Eccleſia.*
11 *Receptio eſt perſonalis, & perſonam ſequitur.*
12 *Petitio dotis ſpectat ad maritũ.*
13 *Pallium eſt dos Archiepiſcopalis dignitatis.*
14 *Prælatus repræſentat ſuam Eccleſiam.*
15 *Electus Archiepiſcopus poteſt & debet per ſe ipſum petere pallium.*
16 *Ad Capitulum non ſpectat petere pallium pro ſuo Archiepiſcopo.*
17 *Prælatus, quæ debet peragere cũ conſilio Capituli.*
18 *Archiepiſcopus electus, & confirmatus poteſt exercere iuriſdictionalia.*
19 *Poteſt alteri demãdare Suffraganeorum conſecrationem.*
20 *Capitulum repræſentat Eccleſiam Sede vacante.*
21 *Non eſt redarguendus, qui poſtulat dignitatem ſibi debitã.*
22 *Inſtantia prodeſt, quam quis iure ſuo facit.*
23 *Conſuetudo confirmatoria ſecũdæ ſententiæ.*
24 *Forma petendi per ſe ipſum.*
25 *Forma petendi per Procuratorem.*
26 *Oratio Aduocati in petẽdo pallio.*
27 *Electus ſi præſens, ſi abſens eius Procurator admittitur in Cõciſtorio ſecreto.*

Du-

DVbio locum præbet *Bellam. in c.ad honorem,n.6.de auth. & vsu pallij*, vbi afferit, electū non debere petere pallium, sed ad Procuratorem Capituli, vel vnum ex Canonicis hoc munus spectare, & subdit hanc esse consuetudinem Curiæ Romanæ. Quicquid sit de consuetudine Romanæ Ecclesiæ infra videbimus.

1 Pro corrobatione huius opinionis videtur primo facere, quia Capitulum, & Canonici repræsentant corpus Ecclesiæ, *c.nouit, 3.de his,quæ fiunt à Prælatis sine cōsensu Capituli*, & ideo in tractandis negocijs magni momenti Ecclesiæ, non potest

2 Prælatus electus, & confirmatus absque suo Capitulo aliquid statuere, *c.quanto, eodem tit.* & cum petitio pallij sit ex maioribus Ecclesiæ Archiepiscopalis negocijs, ideo nō potest per se, sed per Capitulum, eiusque Procuratorem petere pallium debitum suæ Ecclesiæ.

3 Secundò. Electus Archiepiscopus ante pallij receptionem non potest se appellare Archiepiscopum, ergo Ecclesia caret Archiepiscopo, ergo penès Capitulum, & Canonicos residet facultas agendi vtiliora suæ Ecclesiæ negotia, ergo petere pallium.

4 Tertiò probatur. Ad Capitulum, & Canonicos spectat instare apud Sedem Apostolicā, vt prouideat necessitatibus Ecclesiæ, quando eius Prælatus est impeditus illis consulere, *c. si Episcopus 3. de supplen. neglig. Prælatorum in 6.* sed electus Archiepiscopus ante pallij receptionem est impeditus consulere Ecclesiæ necessitatibus, ergo ad Capitulum spectat instare apud Sedem Apostolicam, vt per traditionem pallij prouideatur Ecclesiæ necessitatibus, non autem ad electum Archiepiscopum.

5 Quartò. Canonici, & Capitulum repræsentant Ecclesiam Cathedralem, ergo ad ipsos spectat petere iura, quæ competunt ipsi Ecclesiæ, ius autem pallij est ius Ecclesiæ Archiepiscopali competens, ergo ad Canonicos, & Capitulum spectat petere, vt pallium tradatur Archiepiscopo electo.

6 Quintò. Indignum est sibimet quærere honorem Ecclesiasticū, *c.sicut qui primus, q.6.* pallium autem est honor Ecclesiasticus *c.Rationis, dist.100.* ergo indignum est illud sibi petere, ergo nō ab electo Archiepiscopo, sed à suo Capitulo, & Canonicis debet peti.

7 His tamen non obstantibus contrarium decidendum (tanti Doctoris pace) cum *Turrecr. in c.Prisca, n.1.dist.100. vbi glos. in ver. fortiter, Goffred. in sum. de auth. & vsu pallij, n.3.* & alijs DD. communiter.

8 Pro-

8 Probatur primò, ex d. *c. Prisca*, vbi dicitur, non dari pallium, nisi fortiter postulanti, ergo Archiepiscopus electus, & non Capitulum debet petere pallium.

Secundò probatur ex infrascripta formula petendi pallium exarata à veteri authore sacrorum rituum, quæ concipitur in personam ipsius electi.

9 *Ego N. electus Ecclesiæ N. instanter, instantius, instantissimè peto mihi tradi, & assignari pallium de Corpore B. Petri sumptũ, in quo est plenitudo Pontificalis officij*; ergo ab electo, non autem ab illius Capitulo petendum est pallium.

Tertiò. Electus debet mittere intra tres menses ad Sedem Apostolicam pro pallio suscipiendo, sub pœna priuationis Ecclesiæ obtentæ, *c. 1. dist. 100.* ergo ad electum spectat petere pallium, alias absque sua culpa puniretur, quod nullo modo admittendum est, cum pœna solũ teneat delinquentes, *l. sancimus, C. de pœnis*, & nemo sit

10 priuandus iure suo absque culpa, *l. crimen, ff. de pœnis*.

Quartò. Electus per confirmationem, & consecrationem acquirit ius in sua Ecclesia. *cap. transmissa, vbi glos. & c. suffraganeis, de elect.* ergo etiam in petitione pallij, quod est accessorium suæ confirmationi, & consecrationi, d. *c. 1. dist. 100.* ergo ex iure suo potest illud petere, ergo non debet expectare petitionem sui Capituli.

11 Quintò. Talis pallij receptio necessariò personam talis recipientis sequitur. *c. ad hoc, de author. & vsu pallij*, ergo ad personam talis recipientis spectat illud petere.

12 Sextò. Dotis promissæ petitio spectat ad maritum, & nõ ad alios, *l. si pater, 5. C. de iure dotis*, sed pallium est dos promissa pro matrimonio spirituali, quod electus per cõsecrationem cõtrahit cum sua Ecclesiã Archiepiscopali, ergo ad electum, & consecratum spectat, non autem ad alios petere pallium.

13 Quod vero pallium sit dos Ecclesiæ Archiepiscopalis, patet, datur cum plenitudine Archiepiscopalis officij pro Põtificalibus exercẽdis, ergo pro sustinendis oneribus spiritualis matrimonij, ergo est dos: nam ea est dos, quæ datur pro sustinendis oneribus matrimonij, *l. 1. ff. soluto matrim. l. pro oneribus, C. de iure dotium*.

Quod sit promissa, probat priuilegium Ecclesiæ.

14 Septimò demum Prælatus repræsentat suam Ecclesiam. *c. scire debes 7. quæst. 1.* ergo ad illud spectat petere iura suæ Ecclesiæ, ergo etiam pallium.

15 Concludendum igitur est, electum Archiepiscopũ posse, & de-

& debere petere pallium per ſe ipſum, vel per ſpecialem ſuum Procuratorem.

16 Ad argumenta in contrariũ allata. Reſpondeo, & primò ad primum concedendo Canonicos, & Capitulum eſſe corpus ſuæ Eccleſiæ, non autem inde ſequitur, quod ad illos ſpectat pertractare ſuæ Eccleſiæ negocia magni momẽti independenter à ſuo Prælato, qui eſt eorum caput; ad Prælatum quidem vt caput illa ſpectant, reſoluenda tamen cum conſilio ipſius Capituli, & Canonicorum, atque ita ad Capitulũ ſpectat conſilium, ad Prælatum reſolutio, deciſio, & exequutio, vt ex iuribus ſupra adductis.

17 Secundò reſpondetur Prælatum debere cum conſilio ſui Capituli, & Canonicorum ea peragere, quæ ſpectant ad bona temporalia ſuæ Eccleſiæ cõtractanda, & ad correctionem ſubditorum; non autem ea, quæ ad perſonam, & dignitatem ipſiusmet Archiepiſcopi ſpectant, & ideo nihil ad Capitulum de petendo pallium, vt ſupra probauimus.

18 Ad ſecundum reſpondetur concedendo antecedens, ſed negando conſequens; nam eo ipſo, quod Archiepiſcopus eſt electus, & confirmatus, poteſt exercere iuriſdictionalia, *c. trãſmiſſa, vbi gloſ. in ver. de talibus, & DD. cõmuniter, & c. ſuffraganeis, vbi etiam gloſ. de elect.* & propterea ceſſant iuriſdictio Capituli, & Vicarius Capitularis.

19 Ad tertium reſpondetur negando electum Archiepiſcopũ ante receptionem pallij eſſe adeo impeditum, vt nequeat per ſe ipſum, ac per interpoſitam perſonã ſuæ Eccleſiæ conſulere neceſſitatibus: nam ante pallij receptionẽ poteſt alicui Epiſcopo demandare Suffraganeorum conſecrationem, Clericorum ſuorum ordinationem, & ſimilia, quæ per ſe ipſum facere prohibetur, d. *c. ſuffraganeis, vbi gloſ. poſt caſus poſitionem notabili 2. & ibi Io. Andr. n. 8. Butrius n. 5. Panor. n. 1. Bald. nu. 1. Anchar. in princ. notabili vnico, Sanchez in præcepta Decalogi lib. 4. c. 38. n. 9. & alij cõmuniter.*

20 Ad quartum reſpondeo Capitulum repræſentare Eccleſiã, quando eſt Sedes vacans, & nõ adeſt Prælatus; ſi vero Sedes non vacat, ipſe Prælatus vt caput, primario repræſentat Eccleſiam, vt ſupra probauimus, & ideo ad caput ſpectat quærere, quæ Eccleſiæ cõpetunt, non autem ad inferiora membra, quæ ſunt Canonici, & Capitulum.

21 Ad quintum reſpondeo cũ *Turrecr. in c. Priſca, n. 1. diſt. 100.* non eſſe redarguẽdum electum in Archiepiſcopum de ambitione,

tione, si postulat instanter dari sibi palliũ, quia postulat adimpleri accessorium, & sequelam suæ consecrationis: *arg.c.Artaldus 8.q.3.*& quando quis vtitur
22 iure suo, prodest instantia, *c.importuna, de pœnitentia, dist. 1. glos. in d.c. Prisca, in ver. fortiter, dist.* 100. & ideo in nostro casu non habet locum allegatum, *c. sicut qui*, quod solum loquitur de illis, qui ex ambitione, & irrequisiti vltrò se ingerunt, & quærunt dignitates Ecclesiasticas non sibi aliàs debitas.

23 Demum ad illud de consuetudine Romanæ Curiæ, miror illam allegari, cum contrariam omnino reperiam obseruari: nam à Magistris modernis Cęrem. S. Palatij Apostolici tradita mihi fuit infrascripta formula, qua palliandus postulat sibi tradi pallium.

24 *Ego N. electus Ecclesiæ N. instanter, instantius, & instantissimè peto mihi tradi, & assignari pallium de corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pōtificalis officij.*

Quando verò electus est absens à Curia, constituit sibi specialem procuratorem ad petēdum pallium sui nomine, qui vt infra petit.

25 *Ego N. Procurator procuratorio nomine, & pro parte Reuerendissimi in Christo Patris, & D. N. electi Ecclesiæ N. instanter, instantius, & instantissimè peto mihi dari, & assignari pallium de corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officij, & promitto illud reuerenter portare, vel portari facere eidem Reuerēdissimo D.N. nec pernoctabo, vel pernoctabit in aliquo loco, nisi vna nocte tantũ, nisi præpeditus fuero, vel fuerit legitimè, & tunc in Cathedrali ipsius, & si nō fuerit Cathedralis in Collegiata, & si nō fuerit Collegiata in Parochiali Ecclesia remittam, vel remittet, & honorificè reponam, vel reponet, sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.*

Eademque formula antiquitus obseruabatur, vt referunt, *Antiquus Auctor. sacrorum rituũ c. 50. & Io. Steph. Durand. de Ritibus Ecclesiæ lib. 2. cap. 9. nu. 48.*

Ideo ignoro in quo allegata consuetudo in contrarium fundetur.

Concedo quidem non admitti ipsummet electum personaliter ad petendum pallium in secreto Consistorio, quia eius loco subrogatur alter ex Aduocatis Consistorialibus, qui electi nomine illud petat, ad cuius propositionem fit decretum in eodem Consistorio, & demādatur largitio pallij Eminentissimo Diacono Cardinali tunc præsenti in dicto Consistorio. Ex hoc tamen non sequitur electum non petere, sed eius Capitulum, & Canonicos: immo, si electus Archiepisco-

pus eſt præſens in Curia interuenit eidem Conciſtorio, dum Aduocatus Conciſtorialis eius nomine petit pallium; ſi eſt abſens, intereſt eius procurator, vt ex infraſcripta Aduocati oratiuncula colligitur.

16 Beatiſſimè Pater Inſignis veſtra Metropolitana Eccleſia N. Sanctitati Veſtræ, & huic S. Sedi fide, ac deuotione addictiſſima humiliter poſtulat, vt pallium de B. Petri corpore ſumptum, in quo Pontificalis officij plenitudo, vna cum Archiepiſcopali denominatione confertur, Sanctitas Veſtra tradi iubeat R. P. N. nuper ad eamdem Eccleſiam per Sanctitatē Veſtram promoto, ſiue tranſlato. Pro quo obtinendo idem hic præſens, ea qua decet reuerentia, & humilitate ſupplicat inſtanter, inſtantius, inſtantiſſimè, ſi verò ſit abſens, dicitur N.N. ipſius procurator legitimo ſuffultus mandato. ſi hoc ſpeciale non habeatur, dicetur N. N. ipſius procurator, ſed propter loci diſtantiam ſine ſpeciali mandato.

27 Et quod maioris conſiderationis eſt ad fauorem noſtræ ſententiæ, primo ſua præſentia pallium petit electus, quam Aduocatus ore, nam prius in Aulam Conciſtorij à Magiſtro Cæremoniarū introducitur Electus, quem Aduocatus ſubſequitur, ſecus eſt in procuratore, qui Aduocatum ſubſequitur; nam Aduocatus præſente electo eius loco loquitur, eo abſente repræſentat primario electi perſonam.

CAPVT XIII.

An Archiepiſcopus poſt ſuam conſecrationem ante receptionem pallij, poſſit in aliena Diœceſi de Diœceſani licentia exercere Pontificalia, vt ſimplex Epiſcopus.

SVMMARIVM.

1 *Caſus figuratio.*

2 *Per pallium confertur plenitudo Pontificalis officij.*

3 *Archiepiſcopus ante pallij receptionem, non videtur, vt ſimplex Epiſcopus poſſe exercere Pontificalia in aliena Prouincia.*

Quod

4 *Quod vna via prohibetur, etiã alia via censetur prohibitum.*
5 *Prohibitio indistinctè loquens comprehendit omnem casum.*
6 *In concursu maior potestas videtur operari.*
7 *Archiepiscopus ante pallij receptionem potest, vt Episcopus exercere Pontificalia.*
8 *Consecratio confert potestatem ordinis.*
9 *Quilibet Episcopus potest subdelegare vices suas alteri Episcopo.*
10 *Archiepiscopus ante pallij receptionem potest appellari Episcopus.*
11 *Nomen Archiepiscopale est quid extrinsecum dignitati.*
12 *Nulla inducenda suspensio, quæ non sit in iure expressa.*
13 *Mitior facienda interpretatio in pœnalibus.*
Interpretatio ad c. quod sicut, de elect. ibid.
14 *Archiepiscopus titularis potest in aliena Diœcesi exercere Pontificalia.*
15 *Archiepiscopus cum territorio, & Archiepiscopus titularis æquiparantur.*
16 *Euacuantur argumenta in contrarium adducta, & num. 17. cum sequent.*
22 *Archiepiscopus ante pallij receptionem nihil percipit de prouentibus Ecclesiæ suæ.*

1 ARchiepiscopus Cusentin. electus, & consecratus ante receptionem pallij fuit inuitatus, honoris causa ab Episcopo Narnien. ad Ecclesiam, & altaria nonnulla consecranda, vel ordines conferendos in Diœcesi Narnien. Quæritur, an potuerit illa consecrare, & ordines cõferre, & videtur, quod non potuerit.

2 Quia ante pallij receptionẽ, nec nominari potest Archiepiscopus, *c. Nisi 3. de Auth. & vsu pallij*, & ratio ibi redditur, quia in pallio cõfertur Põtificalis officij plenitudo cũ Archiepiscopalis nominis appellatione: ergo Archiepiscopus ante pallij receptionẽ nõ habet plenitudinem Pontificalis officij, & successiuè non potest consecrare Ecclesias, & altaria, neque ordines conferre, cum hæc spectent solum ad Pontificale officium, *c. tua de consecr. Ecclesiæ.*

3 Probatur secundó, Archiepiscopus consecratus ante pallij receptionem si posset Pontificalia exercere maximè posset, vt simplex Episcopus, cum per consecrationem receperit potestatem ordinis Episcopalis & ab Episcopo inuitante, iurisdictionem, sed neq; vt Episcopus potest Pontificalia exercere, *c. quod sicut* 28. §. *super eo in fine, de elect.* per ea verba *cum id non tanquam Episcopus simplex, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur,* ergo nullo modo potest exercere Pontificalia,

etiam in aliena Diœcesi ante pallij receptionem.

4 Probatur tertiò, Quod vna via prohibetur, etiam alia via intelligitur prohibitum, *c. cum quod vna via* 84. *de regul. iur. in* 6. sed Archiepiscopo Pontificalia prohibetur exercere, vt Archiepiscopo ante pallij receptionem, ergo etiam, vt Episcopo.

5 Probatur quartò. Generaliter prohibetur Archiepiscopo ante pallij receptionem Pontificalia exercere per iura supra allegata, ergo nullibi potest exercere, cum prohibitio indistinctè loquens omnem casum comprehendat, *l.* 1. *§. generaliter, ff. de leg. præstan.*

6 Probatur quintò. Qui valet actum exercere ex duplici potestate, si illud exerceat, videtur exercere prætextu maioris potestatis, *l.* 3. *ff. de militari testamento*, ergo Archiepiscopus exercens Pontificalia in aliena Diœcesi, videtur exercere, vt Archiepiscopus, non vt Episcopus; sed vt Archiepiscopus non potest, ergo neq; vt Episcopus, cum in Archiepiscopo non sit distincta potestas Episcopalis, & Archiepiscopalis.

Hanc sententiam sequuntur *Io. Andreas in d.c. quod sicut, nu.* 1. *& num.* 39. *de elect. Ancharanus in c. suffraganeis, in fine eodē tit. Hostien. in summ.* §. 1. *de auth. & vsu pallij, Butr. in d.c. quod sicut, num.* 41. *vbi Panor. num.* 4.

7 Contrariam tamen sententiam tenent, *Innocen. d.c. suffraganeis, num.* 11. *vbi Zabar. Io. Baptista Ferrettus cons.* 90. *num.* 3. *Marc. Ant. Genuen. in praxi Curiæ Archiep. Neapol. c.* 71. *num.* 19. *& sequen. Loterus de re benef. l.* 1. *q.* 22. *num.* 25. *Rusa de Prærog. Archiep. dign. Prosper. de August. in addit. ad Bullarium Quarant. in ver. Archiepiscopus, num.* 23. & probabilior videtur.

8 Probatur primo, hæc sententia. Archiepiscopus est legitimè, & canonicè consecratus, vt præsupponitur, ergo per huiusmodi consecrationē recepit potestatem ordinis, *c. transmissam, vbi glos. in fine, de elect.* iurisdictionem vero recipit ab Episcopo inuitante,

9 cum quilibet Episcopus possit alteri Episcopo subdelegare, & demandare suorum ordinationem subditorum, & Pontificalia, *c. quod translationem* 11. *de tempore ordin.* ergo Archiepiscopus inuitatus potest vt Episcopus exercere Pontificalia ante pallij receptionem in aliena Diœcesi de Diœcesani licentia.

10 Probatur secundò, Archiepiscopus licet ante receptionē pallij nequeat appellari Archiepiscopus *d. c. nisi*, non tamen negari potest, quod queat appellari Episcopus, & non sit verè Episcopus, cum per consecra-

ſecrationem ſit conſummatum matrimonium inter Epiſcopū, & ſuam Eccleſiam, *c.fin.de trāſlat.Epiſcopi*, & propterea verus ſit ipſius, & Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ, & ſicut Epiſcopus vnius Eccleſiæ poteſt in aliena Eccleſia de illius ordinarij licentia Pontificalia exercere, ita etiam noſter hic Archiepiſcopus poterit, vt Epiſcopus ante recep-
11 tionem pallij, cum Archiepiſcopi nomen ſit extrinſecæ dignitatis, & iuriſdictionis nomen, non autem intrinſecæ poteſtatis ordinis Epiſcopalis cōſtitutio, quæ eſt eadem cum Epiſcopali, *c.Cleros, §.ordo vero, diſt.21.c.vnico, §.fin. de ſtatu regul.in 6. Turrecr. in c. 1. num. 1. diſt.100.& alij.*

12 Probatur tertio. Nulla inducenda eſt ſuſpenſio, & irregularitas, quæ non ſit in iure expreſſa, *c.is qui 18.de ſent.excom. in 6.* ſed in iure Canonico non reperitur expreſſum, quod Archiepiſcopus non poſſit Pontificalia exercere ante pallij receptionem, vt ſimplex Epiſcopus in aliena Diœceſi de Diœceſani licentia, ergo non eſt inducenda huiuſmodi ſuſpenſio, ergo poteſt Pontificalia exercere in aliena Diœceſi, vt ſimplex Epiſcopus.

13 Probatur quarto, In dubio de conſtitutionibus pœnalibus mitior facienda eſt interpretatio, *l.cum quidam 19.ff.de liberis, & poſthum.c. odia 15. de regul. iuris in 6.* ſed dubium eſt inter DD. an dictum *c.Quod ſicut*, loquatur de Pontificalibus exercendis in propria Diœceſi, vt Archiepiſcopus, vel etiam in aliena, vt Epiſcopus, ergo mitior interpretatio facienda eſt, videlicet, quod ſolum loquatur de Pontificalibus exercendis in propria Diœceſi, & Prouincia tantum.

14 Probatur quinto, Archiepiſcopus titularis ſine territorio, & iuriſdictione poteſt exercere Pontificalia in aliena Diœceſi de Ordinarij illius licentia, vt per *Concil.Trid.cap. 5.ſeſſ.6. & cap.2.ſeſſ.14. de Reformat.* ſed Archiepiſcopus ante receptionem pallij æquiparatur Archiepiſcopo titulari, vt bene aduertit *Ruſa de Prærogatiuis Archiepiſcopalis dignitatis, priuileg. 21. verſ.vnū eſt*, ergo Archiepiſcopus ante receptionē pallij pōt exercere Pontificalia in aliena Diœceſi de Diœceſani licētia.

15 Quod vero Archiepiſcopus ante receptionem pallij, æquiparetur titulari Archiepiſcopo, patet, quia verè eſt legitime cōſecratus ad titulum ſuæ Eccleſiæ Archiepiſcopalis, ſed quo ad Pontificalia exercenda in ſua Prouincia eſt, ac ſi non haberet territorium, cum nondum receperit plenitudinem Pontificalis officij, quæ ſolum confertur per pallii traditionē

vt supra probauimus, & nondum habeat plenam sui territorij possessionem, & propterea nequeat Cōcilium Prouinciale conuocare, Chrisma conficere, Ordines conferre suis subditis, & alia Pontificalia in sua Prouincia similiter exercere (licet possit ibi iurisdictionalia, videlicet dimissorias concedere, Chrisma, & Ecclesiarum consecrationes demandare alteri, aliaq; similiter iurisdictionalia exercere) *c. suffraganeis, vbi glos. in 2. notabili, & ibi Io. Andreas num. 8. Butr. num. 5. Panor. num. 1. Bald. num. 1. Anchar. notabili vnico, Sanchez in praecepta Decalog. l. 4. cap. 38. num. 9. & alij.*

16 Ad argumenta in contrariū adducta, & primo ad primum respondeo, concedendo Archiepiscopū ante pallij receptionem, non posse vocari Archiepiscopum, & non habere plenitudinem Archiepiscopalis officij, & non posse, quae sunt ordinis exercere in sua Ecclesia, & Prouincia; non tamen inde sequitur, quod non sit verè Episcopus, & quod non receperit Episcopalis ordinis potestatem per consecrationem, vt supra probauimus, & ideo argumentum nihil concludit.

17 Secundo Respondeo, Archiepiscopum per confirmationē, & consecrationem recepisse plenitudinem Episcopalis officij ante pallij receptionem, quia per ea recepit iurisdictionem, & Episcopalis ordinis potestatem; non tamen eam plenitudinem, quae requiritur ad Archiepiscopalem praeminētiam, & dignitatem: & propterea non potest adhuc appellari Archiepiscopus, & successiuè neq; vt Archiepiscopus in sua Metropolitana Ecclesia, & Prouincia, in qua non nisi vt Archiepiscopus exercere debet Pontificalia, cū sit Archiepiscopalis Ecclesia, & non conueniat Ecclesiam ad Archiepiscopalem dignitatem elatam habere sponsum Episcopum.

18 Ad secundum Respondeo, distinguendo. si loquamur de Pōtificalium exercitio in propria Ecclesia, & Prouincia, concedo Archiepiscopum nō posse Pontificalia ibi exercere, neq; vt Episcopum, & in his terminis allegatus textus loquitur *in c. quod sicut*; si vero loquamur de Pontificalium exercitio in aliena Ecclesia, & Prouincia, nego consequentiam, quia in aliena prouincia nō potest Pontificalia exercere, vt Archiepiscopus, sed ac si esset Episcopus illius Dioecesis, cuius vices in Pōtificalium exercitio gerit: qui enim per alium facit, per se ipsum facere videtur, *c. qui per alium, de regul. iuris in 6. l. ita, §. quod si quis, ff. de administrat. tutorum*, & ideo nō

potest

poteſt dici, quod vt Archiepiſcopus videatur ibi Pontificalia exercere, & eo magis, quia nec pallium habet, per quod ſolum in Pontificalibus dignoſcitur Archiepiſcopus ab Epiſcopo.

19 Ad tertium, Reſpondetur eodem modo, quod ante pallij receptionē prohibetur Archiepiſcopo exercere Pontificalia nomine proprio, & in propria Prouincia, non autem nomine alterius, & in aliena Prouincia, vt ſupra probauimus, & ideo argumentum nihil probat.

20 Ad quartum, Similiter reſpondetur, negando antecedēs, quia iura allegata ſolum loquũtur de Pontificalium exercitio in propria Eccleſia, & Prouincia, vt ſupra probauimus.

21 Ad quintum, Reſpondetur Archiepiſcopum nō poſſe ante pallij receptionem ex duplici capite exercere Pontificalia, ſed ſolum ex Epiſcopali, & delegata poteſtate in aliena Diœceſi, vt ſupra probauimus, & ideo tota vis argumēti corruit, quæ preſupponit poſſe exercere Pōtificalia, vt Archiepiſcopum, & vt Epiſcopum.

Atque ita concludimus Archiepiſcopum ante receptionem pallij non poſſe Pontificalia exercere nomine proprio, & in propria Prouincia, ſed ſolum in aliena, & nomine alterius.

22 Hic nota per tranſennam Archiepiſcopum ante pallij receptionem nihil de ſuæ Eccleſiæ prouentibus percipere poſſe, per *primam Extrauagant. communem de electione*.

CAPVT XIV.

An Epiſcopus palliatus poſſit exercere Pontificalia ante pallij receptionem.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus palliatus ante pallij receptionem poteſt exercere Pontificalia.*

2 *Non tenetur illud petere intra tres menſes.*

3 *Non obligatus ad onus, neque ad illius pœnam.*

4 *Pœna non irrogatur, niſi iure exprimatur.*

5 *Priuilegium concedit noua iura, non aufert antiqua.*

6 *Pallium non confert plenitudinē Epiſcopalis officij.*

7 *Vſus pallij diuerſimodè operatur in Archiepiſcopo, & in Epiſcopo.*

1 Ex præmissis facillimè colligi potest difficultatis solutio, videlicet Episcopum palliatum posse Pontificalia exercere vbiq; post consecrationem, ante pallij receptionem.

2 Nam, vt supra probauimus, non tenetur Episcopus palliatus petere pallium intra tres menses à die consecrationis, quia hoc est onus Archiepiscopis tantum impositum, & non extendendum ad Episcopos, ita etiam pœna oneri imposita
3 non ligat Episcopos, quia, qui nō est obligatus ad obseruantiā oneris, neq; est obligatus ad illius pœnæ sufferentiam, *arg. l. sancimus, C. de pœnis, l. absentem, ff. eodem*.

4 Probatur secundo, quia pœna non irrogatur, nisi in iure caueatur expresse, *§. sin autem, Authen. de non eligen. 2. nuben. mulier. Glos. fin. in c. fin. de iurepatron.* sed nullibi cauetur expresse, quod Episcopus palliatus non possit exercere Pontificalia ante receptionem pallij, ergo non debet illi huiusmodi pœna irrogari.

5 Probatur tertio, Priuilegium concedit noua iura, non autem aufert propria, & antiqua priuilegiato, *c. Abbate, §. contra quod, de verb. signif. c. in his, in fine de priuilegijs*, sed Episcopus statim, non autē eodem die, post sui consecrationem potest exercere Pontificalia, *c. transmissam, §. super eo, de elect.* ergo priuilegium pallij non aufert, sed conseruat Episcopo palliato ius exercendi Pontificalia statim post sui consecrationem, ergo illa potest exercere ante pallij receptionem.

6 Probatur quarto. Pallium confert plenitudinem Archiepiscopalis officij, non autem Episcopalis, vt supra probauimus, & per se patet, quia ferè omnes Episcopi sunt sine pallio, & habent plenitudinem sui officij Episcopalis, ergo Episcopus palliatus statim habet plenitudinem sui Episcopalis officij, & per consequens potest statim exercere Pontificalia post sui consecrationem.

7 Obicies vsus pallij de sui natura importat, vt palliandus nō possit exercere Pontificalia ante illius receptionem, *d. c. nisi, de auth. & vsu pallij*, ergo quisquis habet vsum pallij non potest exercere Pontificalia ante illius receptionem.

Hæc obiectio facillimè diluitur, nam habet locū in Archiepiscopis tantum, quibus propriè competit vsus pallij, non autem in Episcopo, cui impropriè, & ex mero, & honorario priuilegio ille competit, vt supra probauimus, & allegatus textus loquitur.

CA-

CAPVT XV.

An Archiepiſcopus, qui per Procuratorem habuit à Sede Apoſtolica pallium, poſſit exercere Pontificalia in ſua Prouincia, antequam ad ipſius manus deueniat.

SVMMARIVM.

1 *An receptio pallij per procuratorem ſufficiat ad Pontificalia exercenda.*

2 *Archiepiſcopus tenetur præſtare prius fidelitatis iuramentum.*

3 *Qui non facit quod debet, non recipit quod oportet.*

4 *Procurator eſt Apocriſiarius, præſtat iuramentum deferendi pallium ſub cuſtodia.*

5 *Pallium conſignatum procuratori palliatus recipere debet de manu Epiſcoporum.*

6 *Traditio fit de re, quam quis non habet.*

7 *Actus Phyſicus vbi requiritur, non ſufficit moralis.*

8 *Conditio non implenda per æquipollens.*

9 *Receptio pallij per procuratorem ſufficit ad exercenda Pontificalia.*

10 *Priuilegium non operatur ſuum effectum ante notitiam priuilegiati.*

11 *Res tradita meo procuratori, mihi acquiritur.*

12 *Palliũ negatur Vuiliberto Agrippinenſi Epiſcopo.*

13 *Quicumq; poteſt facere per ſe ipſum, & illud per procuratorem.*

14 *Concordantur ambæ ſententiæ ſub diſtinctione.*

15 *Actus delationis non importat ius in re, ſed ad rem.*

16 *Forma decreti tradendi pallium.*

17 *Verbũ aſſigno, importat actualem traditionem rei aſſignatæ.*

Verbum deſtino, tranſmiſſionẽ importat rei, quæ tradi debet ibid.

18 *Requiſita in mandato procuræ ad recipiendum pallium.*

19 *Qua veſte induendus procurator in recipiendo pallio, & ſub quo iuramento.*

20 *Formula iuramenti.*

21 *Quomodo à Cardinale Diacono tradatur pallium, & quibus præſentibus.*

Ma-

22 *Magister Caeremoniarum conficit litteras testimoniales.*
23 *Verbum assigno, transfert dominium.*
24 *Procuratoribus nō ita facile credendum.*
25 *Responsio ad argumenta in contrarium adducta num. 6. & sequent.*
30 *Iuramentum fidelitatis potest praestari per procuratorem.*

ARchiepiscopus v. g. Bituricen: electus, confirmatus, & consecratus misit D. Petrum Canonicum suae Metropolitanae Ecclesiae ad Sedem Apostolicam, cum sufficienti, & legitimo procuratorio petendi pallium, illudq; seruatis seruandis recepit; sed Petrus antequam Bituricem rediret per litteras certiorauit D. Archiepiscopū de pallio recepto eius nomine, & illud iam in sua potestate habere, secum delaturus, qui D. Archiepiscopus habita receptionis huiusmodi notitia cœpit se appellare, & subscribere Archiepiscopum, & Pontificalia in sua Prouincia
1 exercere. Dubitatum fuit ab aliquibus satrapis praedictae Ciuitatis, an hoc licitum fuerit, & rationes dubitandi fuerūt hinc inde deductae.

2 Pro parte negatiua primo fuit, quia Archiepiscopus ante pallij receptionem tenetur necessario praestare iuramentū fidelitatis, & obedientiae Romanae Ecclesiae per se ipsum, *c. nouit, §. causarum, dist.* 100. *Pontificale Rom. in Rubrica de Pallio* vt se appellare possit Archiepi-
3 scopum, & exercere Pontificalia in sua Prouincia, & propterea, qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet, *l. si non fuerit, vbi glos. ff. de iure iurand. Surd. de alimen. tit.* 8. *Priuil.* 53. *num.* 100. *Menoch. de Interd. recuperandae possession. nu.* 80. sed Archiepiscopus non praestando fidelitatis iuramentum, non facit, quod debet, ergo non recipit, quod oportet, videlicet vsum Pontificalium in sua Prouincia, ergo Archiepiscopus Bituricēsis ante praestitum per se ipsum iuramentū fidelitatis, & obedientiae non potuit se nominare Archiepiscopum, & Pontificalia exercere in sua Prouincia.

4 Secundo probatur. Procurator dicti Archiepiscopi non accepit palliū nomine Archiepiscopi, sed vt Apocrisiarius, idest Nuncius Sedis Apostolicae ad hunc actum deferendi pallium sub fideli custodia specialiter constitutus, sub hac conditione, vt Archiepiscopo illud offerat, & tradat si iuramentum, quod à D. Papa scriptum detulerat, idest contentū in Caeremoniali Romano, & à D. Papa praescriptum, nec non, & ab ipso Archiepiscopo in man-

mandato procura, suo procuratori facto rescriptum, personaliter præstet, *c. significasti 4. de elect.* ergo Archiepiscopus non recipit pallium mediante suo procuratore, sed solum ei offertur recipiendum, si, & postquã in manibus eorum præstiterit iuramentum, quibus eius receptio per litteras Apostolicas demandatur, ergo ad se nominandum Archiepiscopum, & Pontificalia exercenda in Prouincia, non sufficit consignatio pallij facta procuratori hic Romæ. Quod autem dictus Procurator constituatur Apocrisarius, seu Nuncius Sedis Apostolicæ ad hunc actum, patet, quia præstat in manibus Cardinalis Diaconi iuramentum de fideliter portando dictum pallium, & in itinere, quando ei conueniat pernoctare alicubi, non nisi in loco sacro, non autem profano illud interim sub fideli custodia collocando, alijsque peragendis, quæ sibi nomine Sedis Apostolicæ demandantur.

5 Tertiò probatur. Pallio cõsignato procuratori per litteras speciales, D. Papa demandat alicui Episcopo, vel Episcopis, vt tradant palliando pallium, post quam in manibus eius, vel eorum Archiepiscopus emiserit iuramentum fidelitatis, ergo palliandus ante prædicti iuramenti præstationem non receperat pallium, & traditio enim fit de re, quam quis non habet, non autem de re, quam quis iam habet, *l. nunquam 31. l. cum in corpus 36. ff. de acquir. rerum dominio*, ergo ante personale præstitum fidelitatis iuramentũ, & pallij personalem receptionem, non potest Archiepiscopus se nominare Archiepiscopum, & c.

6

7 Probatur quartò, vbi requiritur actus Physicè personalis, nõ sufficit actus moraliter personalis, *glos. in Clem. 1. in princ. de vit. & honestate Clericorum*, sed in receptione pallij requiritur actus Physicè personalis Archiepiscopi, *c. nisi, de auth. & vsu pallij*, ergo non sufficit actus moraliter personalis receptionis pallij, qualis est, qui fit per Procuratorem, *c. qui, per alium de Reg. iuris in 6.* ergo Archiepiscopus ante personalem receptionem pallij, non potest se nominare Archiepiscopum, & Pontificalia exercere in sua Prouincia.

8 Probatur quintò, Emissio fidelitatis iuramenti decernitur per dictionem, postquam, quæ inducit conditionem, *Paris. consil. 71. num. 38. volum. 1. Menoch. consil. 103. num. 4.* vel per aliam similem: conditio autem non debet impleri per æquipollens *Surd. de Alim. tit. 5. q. 6. num. 16.* & ideo præstatio iuramẽti fidelitatis debet fieri perso-

sona-

sonaliter, & non per procuratorem, quod est æquipollens, *d.c. qui per alium*.

9 Pro parte affirmatiua adducitur primo. Priuilegium non operatur suum effectum antequam deueniat ad notitiam priuilegiati, *c.1. de concess. praeben. in 6. § nec obstaret, vbi DD. communiter, & Panor. in c. 2. de const. num. 7. l. qui absenti ff. de acquir. poss. l. absenti, ff. de donat.* ergo quando venit ad notitiã priuilegiati, statim suum operatur effectum, sed pallium cõ-

10 petit Archiepiscopo ex priuilegio, ergo vbi venit ad notitiã Archiepiscopi illius concessio, statim priuilegium pallij suum operatur effectum, hoc est constituit Archiepiscopum in suo esse Archiepiscopali, cum effectus concessionis pallij sit constituere Archiepiscopum in suo esse Archiepiscopali, vt supra probauimus.

11 Secundo, Res tradita meo procuratori, eo ipso mihi acquiritur illius possessio, & dominium *l. traditio, ff. de acquir. rerum dominio, l. procuratorem, C. de acquir. poss.* sed pallium, vt præsupponitur, fuit hic Romæ traditum Petro Procuratori dicti Archiepiscopi; ergo eo ipso illius possessio fuit acquisita dicto Archiepiscopo; sed posita possessione pallij Archiepiscopus potest se nominare Archiepiscopum, & exercere Pontificalia in sua Prouincia *d. c. nisi* ergo dictus Archiepiscopus statim, ac habuit notitiam, quod dictus eius Procurator hic Romæ receperit pallium, potuit legitimè se appellare Archiepiscopum, & Pontificalia exercere in sua Prouincia.

12 Tertiò, Adducitur textus *in c. optatum, vbi Turrecrem. dist.* 100. ibi enim D. Io. Papa VIII. negat Vvliberto Agrippinensi Episcopo pallium, quia non transmiserat solitam professionem, & iuramentum propriæ manus subscriptione, nec aliquem miserat, qui hanc iurando firmaret, ergo non requiritur personalis præstatio iuramenti; sed potest fieri per interpositam personam, & consequẽter per interpositam personam recipi pallium, & post huiusmodi receptionem pallij potest Archiepiscopus se nominare Archiepiscopum, & exercere Pontificalia in sua Prouincia.

13 Quartò, Adducitur regula. *Quicunq; potest aliquid facere per se ipsum, & illud facere per procuratorem l. 1. ff. de procur. c. qui per alium, & c. potest quis, de reg. iur. in 6.* Sed Archiepiscopus potest iuramentum fidelitatis præstare per se ipsum, ergo etiam per procuratorem, ergò per procuratorem præstito iuramento, & recepto pallio statim potest se appellare Archie-

chiepiscopum, & exercere Pōtificalia in sua Prouincia, cum ad hæc, solum requiratur receptio pallij, vt supra probatum fuit.

14 Cōsideratis rationibus hinc inde deductis, concludendum censeo, cum hac distinctione, videlicet, quando Archiepiscopus mittit procuratorem ad Sedem Apostolicam cum mandato speciali ad petendum pallium, recepto per procuratorem simpliciter pallio, non potest se appellare Archiepiscopum, & exercere Pontificalia in sua Prouincia, antequam sibi personaliter tradatur palliū ab eis, vel ab eo, quibus, vel cui demandatur per Sedem Apostolicam huiusmodi traditio, iuxta formam Cæremonialis Romani, & litterarum desuper expeditarum; nam vt fuit bene supra perpēsum, Procurator Archiepiscopi fuit per Archiepiscopum cōstitutus ad petendum pallium, & per Sedem Apostolicam ad illud deferendum ipsi Archiepiscopo, non autem ad recipiendum illius nomine; & aliud est delatio, aliud verò susceptio.

15 Actus delationis in se consideratus non importat ius in re, sed ad rem illi, cui defertur, & propterea non inducit possessionem rei delatæ, cum dicta res, & possit acceptari, & repudiari; *l. delata* 151. *vbi gloss. ff. de verborum signif. l. is qui hæres* 13. *ff. de acquir. hæreditate, l.* 1. *ff. de successor. edicto. §. decretalis, l.* 2. *C. de Carboniano edicto*; & per consignationem pallij factam procuratori solum fuit decreta illius traditio, & ita intelligendæ sunt rationes pro prima sententia adductæ, & propterea litteræ desuper expediūtur, vt infra.

16 Dilecto filio N. &c. Cum nos nuper Ecclesiæ N. tunc per obitum b. m. Ioannis Archiepiscopi N. extra Romanam Curiam defuncti pastoris solatio destitutæ de persona tua nobis, & fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica authoritate duxerimus prouidendum, præficiendo te illius Archiepiscopum, & Pastorem, prout inde confectis litteris plenius cōtinetur: & postmodum pallium insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officij, ex parte tua fuerit à nobis per dilectum filium. N. cum ea, qua decet, instantia postulatum; nos tuis supplicationibus annuētes pallium ipsum de corpore B. Petri sumptum per venerabiles fratres nostros N. N. tibi assignandum, per prædictum nuncium tuum duximus destinandum, & ijdem Episcopi, vel eorum alter illud tibi, postquam munus consecrationis susceperis assi-

assignent, & à te nostro,& Romanæ Ecclesiæ nomine sub forma quam eis sub Bulla nostra mitt mus introclusum fidelitatis d bitæ solitum recipiat, vel recip ant iuramentum. Tu autem illo intra Ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat vtaris, qui expressè in illius priuilegijs continentur. Vt igitur signum non discrepet à signato, sed quod geris exterius, interius serues in mente, discretionem tuam monemus, & hortamur attentè per Apostolica scripta tibi mandantes, quatenus humilitatem, & iustitiam dante Domino, qui dat præmia, & munera largitur. obseruare studeas, quæ suum seruãt, & promouent seruatorem, ac Ecclesiam N. sponsam tuam cures solicitè authore Domino specialiter, & temporaliter augumentare. Datum &c.

17 Ex quibus litteris si perpendantur verba illa, per venerabiles fratres nostros N.N. tibi assignandum, per prædictum tuũ nuncium duximus destinandũ, fateri cogimur indubitabilem, & veram esse prædictæ distinctionis partem, nam per procuratorem Archiepiscopi mittitur pallium: quod postea à subdelegatis Episcopis assignetur, idest tradatur Archiepiscopo; verbum enim assigno, importat actualem traditionẽ, *c. proposuit, in fine, de concessione prabendæ, vbi glos. in verbo assignatis*, & aliud verbum, destinandum, importat transmissionem rei, quæ tradi debet, vt ex §. 1. *d. c. proposuit*, & propterea ex sola receptione pallij ad effectum portandi, vt assignetur, non acquirit Archiepiscopus possessionem, & ius in pallio, sed solum ius ad illud: hoc quidem ius non sufficit ad se nominãdum Archiepiscopum, & ad Pontificalia exercenda in Prouincia.

18 Quando verò Archiepiscopus transmittit suum Procuratorem cum speciali mandato ad petendum, & suscipiendum suo nomine pallium, & ad hũc effectum transmittit etiam libellum suæ professionis fidei, & iuramenti fidelitatis propria manu conscriptum, vel saltem subscriptum, proprioq; sigillo munitum, vel speciale mandatum de eo præstando procuratori tradit, prout requirit *d. c. optatum, dist. 100.* tali casu Archiepiscopus habita certa notitia, quod procurator eius nomine receperit hic Romæ pallium, à Sede Apostolica, illicò potest se appellare Archiepiscopum, & exercere Pontificalia in sua Diœcesi, prout probant rationes pro secunda sententia allatæ, in cuius etiam confirmationẽ adducuntur cæremoniæ, & circumstantiæ, quibus ab Eminentissimo Diacono

cono Cardinali traditur Procuratori cum præcedenti mandato procuræ constituto pal-
19 lium. Procurator enim veste talari indutus, & superpelliceo genuflexus in manibus prædicti Cardinalis post celebratam in ipsius priuata capella Missam emittit subsequens iuramentū.
20 Ego N. Procurator, & procuratorio nomine, & pro parte Reuerendissimi in Christo Patris, & Domini N. electi Ecclesiæ N. instanter, instantius, & instantissime peto mihi dari, & assignari pallium de corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officij, & & promitto illud reuerenter portare, vel portari facere eidem Reuerendissimo Patri D. N. nec pernoctabo, vel pernoctabit in aliquo loco, nisi vna nocte tantum, (nisi præpeditus fuero, vel præpeditus fuerit legitimè) & tunc in Cathedrali ipsius, & si non fuerit Cathedralis, in Collegiata, & si non fuerit Collegiata, in Parochiali Ecclesia remittam, vel remittet, & honorificè reponam, vel reponet, sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.
21 Eminentissimus postea Cardinalis Diaconus imponit pallium super humeris procuratoris, proferens subsequentia verba.

Ad honorem omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & D. N. Papæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ assigno tibi pallium de corpore B. Petri sumptum in quo est plenitudo officij Pontificalis, cum Archiepiscopalis nominis appellatione, nomine, & parte Reuerēdissimi in Christo Patris, & D. N. Ecclesiæ N. ad quam electus est, vt eo vtatur infra Ecclesiam suam certis diebus, qui exprimuntur in priuilegijs ab Apostolica Sede concessis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.
22 Quibus peractis cum interuentu alterius ex Subdiaconis Apostolicis, & vnius ex Magistris Cæremoniarum, ac duorum saltem testium; Magister Cæremoniarum conficit desuper litteras testimoniales, & ipsi procuratori in forma authentica tradit in corroborationem, & testimonium sibi traditi, & recepti pallij, prout testatur, *Christophorus Marcellus Archiepiscopus Corcirensis, olim Sixti IV. Magister Cæremoniarum in suo tractatu rituum Ecclesiasticorum lib. 1. c. 5. de pallio, & præsentes Innocentij Decimi Cæremoniarum Magistri oretenus mihi confirmarunt.*
23 Rebus sic stantibus, quis dubitare queat Archiepiscopum consequutum realiter, & actualiter pallium mediāte suo procuratore non fuisse, & propterea

rea habita conſecutionis huiuſmodi notitia non potuiſſe ſe appellare Archiepiſcopum, & legitimè non exercuiſſe in ſua Prouincia Pontificalia. Nam ex pallij impoſitione ſuper humeros procuratoris induti veſte talari, & ſuperpelliceo, & prolatione formæ actualis traditionis pallij non poteſt argui, quod ſimplex fuerit deſtinatio, non autem aſſignatio, & illius poſſeſſionis conſecutio; ſi enim pallium aſſignatur procuratori nomine ſui Archiepiſcopi principalis, & verbum, aſſigno, de ſui natura transferat dominium rei aſſignatæ in eum, cui aſſignatur, vt bene aduertit *Decius cum Baldo de aſſignatione Caſtri facta per Papam conſ.* 341. *viſo puncto num.* 14. ergo multo magis transfert dominium, quando res aſſignata traditur.

Præterea pallium traditur procuratori ad vſum, nomine ſui principalis, non vt ipſe procurator eo vtatur, ſed Archiepiſcopus principalis, & ideo Archiepiſcopus per dictam aſſignationem procuratori factam recipit dominium, & liberum vſum pallij; & ideo poteſt ſtatim ſe nominare Archiepiſcopum, & Pontificalia exercere in ſua Prouincia, ergo Archiepiſcopus Bituricen. habito ſui Procuratoris certo eſt indubitabili nuncio, benè, & legitimè ſe appellauit Archiepiſcopum, & Pontificalia exercuit.

Dixi quod Archiepiſcopus habita certa, & indubitabili notitia poſſit ſe appellare Archiepiſcopum, &c. ne obcæcatus nimio deſiderio extrahat ex Procuratoris litteris ſenſum, quem ille non ſomniauit: & propterea notitia haberi debet ex litteris, quæ includant actũ conſummatum, & pallium iam de præterito receptum, & non de præſenti: at ſi dicat modo recipio pallium, ex huiuſmodi verbis notitia non eſt ſufficiens: præſens enim verbum eſt indicatiuum futuri, non autem præteriti, & conſummati actus, qui requiritur ad ſe appellandũ Archiepiſcopum, vt ſupra probauimus.

24 Præterea cum procuratores ad ſuam oſtentandam diligentiam ſoleant aliquando ea vti regula: *Proximè accingendus, habetur pro accincto*, & propterea præcipiendo animo, quod ſperant de proximo ſe conſequuturos, ſcribant ad ſuos principales ſe iam ſub ſui poteſtate habere rem petitam, & ideo præueniunt litteris, & decipiũt ſuos principales; conſulerem non primis fidem illicò præſtare, ſed ſecundas, & tertias ſui procuratoris litteras, confirmantes receptum pallium, expectare.

25 Ad rationes in contrarium adductas. Reſpondeo primo ad

ad primum non habere locum in casu nostro, quia, vt præsup ponitur, Archiepiscopus transmisit iuramentum fidelitatis, propria manu conscriptum, subscriptum, & proprio sigillo munitum, & sic fecit, quod debebat, & ideo recepit, quod oportet.

26 Nec obstat, quod nondum ei fuerit delatum iuramentum à Sede Apostolica, quia eo ipso, quod est electus ad Ecclesiam Archiepiscopalem, quæ habet ius ad petendum palliũ, illi de iure censetur delatum iuramentum, & suo iure petendi pallium vti posse, vt ex iuribus toties præallegatis.

27 Ad secundum, respondetur negando procuratorem fuisse Apocrisiarium, & nuncium Sedis Apostolicæ, sed fuit verus, & legitimus procurator ad petendum, & recipiendum iuridicè nomine sui Archiepiscopi pallium, & actu, ac omnibus necessariò requisitis recepit, ac si esset ipsemet Archiepiscopus; prout supra ostendimus in secunda nostræ distinctionis parte, nec ad plura tenebatur ipsemet Archiepiscopus præstanda pro pallij receptione.

28 Ad tertium respõdetur pallium fuisse ipsi procuratori liberè, & absque vlla conditione assignatum, sed solum ob rei sacræ decentiam impositum, vt illud in loco sacro deponat, quando in itinere pernoctare contingat extra locum sacrum; prout ex ipsomet iuramento colligitur.

29 Ad quartum respondetur. Primo concedendo non sufficere actum moralem, quando requiritur physicus; in nostro autem casu non est simpliciter actus moralis, sed etiam physicus, cum per conscriptionem, & subscriptionem iuramenti sui Archiepiscopus illud præstet physicè, & mediante persona sui procuratoris, qui libellum prædicti iuramenti exhibet, illud etiam moraliter præstet in manibus Sedis Apostolicæ.

30 Secundo Respondetur, iuramentum fidelitatis posse, & per interpositam personam pręstari, *c.1.§.verum, de regul. iuris in 6. Clement. 1. de iureiur. Decius in c. significauit 4. de elect. nu. 7.* & præcipuè in casu nostro sufficere actum physicum, vel moralem, cum Archiepiscopus possit, vel per se ipsum, vel per procuratorem cum speciali mandato iuramentum fidelitatis præstare, *d. c. optatum, vbi Turrecr. dist.* 100.

Ad quintum respondetur, pallium fuisse procuratori, immo ipsi Archiepiscopo traditum post iuramentum, vt supra præstitum, & ideo ratio in contrarium adducta nihil officit.

Concludendum igitur est, D. Archiepiscopum Bituricen. iu-

re suo se appellasse Archiepiscopũ, & Põtificalia exercuisse in sua Diœcesi post habitã recepti pallij notitiam.

CAPVT XVI.

An iuramentum fidelitatis, & obedientiæ sit de essentia receptionis pallij, &c.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum fidelitatis est de essentia receptionis pallij.*
2 *Conditio est de essentia actus conditionalis.*
3 *Nihil actum creditur, cum aliquid addendum superest.*
4 *Actus inualidus, & nullus æquiparantur.*
5 *Iura, & Caremoniale requirunt iuramentum fidelitatis pro forma receptionis pallij, sublata forma corruit actus.*
6 *Delatio, & receptio iuramenti sunt de forma traditionis pallij.*
Forma, etiam in minimis obseruanda.
7 *Cautius agendum, vbi maius periculum.*
8 *Gubernium Ecclesiæ non committẽdum personæ incognitæ.*
9 *Contraria opinio.*
10 *Expressa præsumuntur, quæ tacitè insunt.*
11 *Pœna non irrogatur, nisi expressa.*
12 *Iura fauent validitati actus in dubio.*
13 *D. Papa potest remittere iuramentum in traditione pallij.*
14 *Traditio pallij facta à subdelegato sine iuramento fidelitatis, inualida.*
15 *D. Papa censetur dispensare, quando aliquem admittit ad actum prohibitum.*
16 *Non sufficit tacitum, vbi expressum requiritur.*
17 *In mutuo cauendum à percipiẽte de restituenda re mutuata in eodem genere.*
18 *Legatum conditionale transfertur ad hæredem legatarij.*
19 *Argumenta in contrarium adducta refelluntur, & nu. 20. & 21.*
22 *Princeps non ligatur legibus.*
23 *Iuramentum commissum potest postponi actui, & reualidatur actus.*
24 *Culpa non vertenda in populi damnum.*

CVm supra probatum fuerit nõ exhiberi Archiepiscopo palliũ antequã personaliter pręstet fidelitatis, & obedientiæ iuramentum Sedi Apostol. insurgit dubitatio; an iuramentũ huiusmodi sit de essẽtia receptionis

nis

nis pallij, adeo vt si omittatur, receptio illius sit inualida, & nullatenus suffragetur, ac propterea Archiepiscopus electus non possit se appellare Archiepiscopū, & exercere Pōtificalia.

1 Pro parte affirmatiua adducitur text. *in cap. significasti, 4. de electione*, vbi pallium afferendum sub conditione iubetur, si Archiepiscopus electus exhiberet iuramentum fideli-
2 tatis, sed conditio in actu conditionali est de illius essentia, *l. si quis sub conditione, ff. si quis omissa causa testam. l. cedere diem, ff. de verb. signif. Afflict. decis. 355. num. 4. Surd. de Alim. tit. 9. q. 29.* ergo iuramentum fidelitatis est de essentia actus receptionis pallij.

3 Probatur secundo. Nihil actum creditur, cum aliquid addendum superest, *l. cum Syllanianum 11. in fine, C. quibus, vt indig. hæred. aufer.* sed si in actu receptionis pallij omittatur iuramentum fidelitatis, & obedientiæ, aliquid addendum superest: ergo nihil actum creditur, quando omittitur iuramentum fidelitatis, sed si nihil actum creditur, ergo inualida
4 est receptio pallij sine iuramento fidelitatis; actus enim inualidus, & nullus æquiparantur, *l. si aut nullum 4. C. de leg. hæred.* ergo iuramentum fidelitatis est de essentia receptionis pallij.

5 Probatur tertio. Iura, & Cæremoniale Romanum requirūt pro forma receptionis pallij iuramentum fidelitatis, *d. c. optatū, dist. 100. & Cæremoniale in tit. de pallio*; sed forma est de essentia illius actus, cuius est forma, & propterea illa sublata, corruit actus, *l. hæredes 36. §. idē iuris est, ff. familiæ erciscun. l. Iulianus 9. §. sed si quis, ff. ad exhiben. l. cum hi, §. si Prætor, ff. de transact. l. traditionibus, C. de pactis, c. quæ contra, de reg. iur. in 6. c. cum dilecta, de rescriptis, c. 1. de rebus Eccles. non alien. & notatur in c. sine exceptione 12. q. 1. Panor. in c. prudentiam 21. num. 5. de officio delegati, Surd. decis. 268. Io. de Imola, in l. à Titio, col. 3. in verbo, nec obstat, ff. de verborum oblig. Decius in c. quanto, nu. 42. de iudicijs*, ergo præstatio iuramenti fidelitatis est de essentia receptionis pallij.

6 Probatur quartò. Delatio iuramenti fidelitatis palliando, eiusq; receptio est de forma actus traditionis pallij, *d. c. significasti, & Rubrica Cæremonialis Romani de pallio*, ergo de essentia traditionis pallij, cum forma etiam in minimis sit seruanda, per *d. l. hæres, & per Bald. in c. cum ideo 17. n. 4. de rescript.* alias actus corruit per textus, & auctor. supracit.

7 Quintò, Cautius agendum est, vbi maius est periculum, *c. vbi periculum, de elect. in 6. Panor. in c. 1. nu. 3. de renunciatione*;

ne; sed maius est periculum in deputatione vnius Archiepiscopi, & in communicatione officij Apostolici; *arg. c. quiescamus, d. 42. Io. ab Imola in c. ad honorem, num. 5. de auth. & vsu pallij*, ergo cautius agendũ: cautius autem agi non potest; nisi petendo, & recipiendo fidelitatis iuramentum; cum
8 personæ incognitæ gubernium Ecclesiæ committendum non sit, *c. 1. de renunciat*, cognosci quidem fidelitas palliandi nequit, nisi per fidelitatis iuramentum, cum Ecclesia non iudicet de occultis; ergo necessario præmittendum, ergo de essentia est.

9 Pro parte negatiua adducuntur textus, *in l. cum quid, ff. si certum petatur, & l. hæredis, ff.*
10 *quando dies legatorum cedat*, vbi expressa præsumuntur, quæ tacitè insunt, sed in Catholico, & cõsecrato Antistite tacitè inest quod sit futurus fidelis Sedi Apostolicæ, *c. Quamquam, d. 23.* ergo etiam si omittatur præstatio iuramenti, præsumitur expressa, ergo illius omissio nõ inualidat actum traditionis, & receptionis pallij, ergo non est de essentia.

11 Secundò, pœna nõ irrogatur nisi expressè iure caueatur, *l. & si quis, S. idem Labeo, in fine, vers. pœnam tamen in eum statutam non esse, ff. de relig. & sumptib. funer. Auth. de non eligi secundo nuben. mulieres, gloss. in c. fin. in verbo, ex vi iuris, de Iurepatr. Bald. in l. 3. C. de Sacrosanct. Eccl. in principio, Decius in Regula, factum cuiq; suum, S. in pœnalibus, num. 9. ff. de regul. iuris, Mandos. in regula 21. Cancel. q. 3. num. 15.* sed priuatio effectus receptionis pallij ob non præstitum fidelitatis iuramentum est pœna, ergo non debet irrogari, nisi iure caueatur: sed nullibi hoc iure cauetur, ergo non debet irrogari.

12 Probatur tertio. Iura maximè fauent validitati actus, & in dubio illum reputant validũ, *c. Abbate 25. S. contra quod, de verborum signif. l. quoties 13. ff. de reb. dub. l. quoties 80 ff. de verborum oblig.* sed dubium est, an traditio pallij sine palliandi iuramento fidelitatis sit valida: nullibi enim in iure reperitur determinata illius inualiditatis expresio: ergo iura illius validitati fauent, ergo reputatur valida, & iuramenti fidelitatis præstatio nõ est de essentia traditionis pallij.

13 Probatur quarto. Si præstatio iuramenti fidelitatis esset de essentia traditionis, & receptionis pallij, sequeretur, quod S. Pontifex non posset illud tradere, & palliandus recipere, non præmisso fidelitatis iuramento, sed hoc est absurdum, quia S. Pontifex est supra ius positiuum, & huiusmodi iuramen-

mentum est de iure positiuo, ergo illius præstatio non est de essentia traditionis, & receptionis pallij.

14 His tamen non obstantibus concludendum est traditionem pallij factam ab alio Sedis Apostolicæ delegato, præterquam ab ipsomet Summo Pontifice, non præmisso fidelitatis iuramẽto esse inualidam: nam de iure requiritur huiusmodi iuramẽti præmissio, & in subdelegationibus præcipue hoc præcipitur, & præscribitur de forma sub qua debet tradi. Forma autem ad vnguem debet obseruari sub pœna inualiditatis actus, vt supra probauimus.

15 Dixi ab alio, quàm à Summo Pontifice, quia eo ipso, quod S. Pontifex admittit aliquem ad actum prohibitum, præsumitur dispensare, *l. Barbarius 3. vbi Bart. num. 12. ff. de officio Prætoris*.

16 Ad argumenta in contrarium adducta, & primo, ad primum Respondeo non sufficere tacitum, vbi expressum requiritur, *c. 2. de Præben. c. fin. de Procur. in 6. Tusc. tomo 3. littera E. conclus.* 654. & ideo cum in nostro casu præscribatur forma præstandi huiusmodi iuramentum, est signum, quod requiratur expressa iuramenti præstatio, & propterea non sufficit tacita.

17 Non vrget allegatus textus, *in l. cum quid*, quia loquitur de contractu mutui, cuius natura, & iura requirunt, vt specificè, & expressè à percipiente mutuum caueatur restitui rem mutuatam in eodem genere æque bonam, & non deteriorem, & casu quo non expressè caueatur, volunt semper subintelligi, & ideo admittunt etiam tacitã cautionem, quod non est in casu nostro, cum requiratur expressa iuramenti fidelitatis præstatio, & nullibi reperiatur, quod tacita sufficiat.

18 Eodem modo respondetur ad textum *in l. hæredis*, nam ibi decernitur, vt legatarius cõditione sui legati nõdum adimpleta decedens, transferat ad suum hæredem legati petitionẽ, licet à testatore hoc nõ fuerit expressum, quia presumitur inesse in dicti legati cõcessione.

19 Ad secundum, quod pœna non debeat irrogari, vbi non fuerit in iure cautum. Respondetur esse iure cautum, vt actus sit inualidus, in quo non seruatur forma præscripta, vt supra probauimus.

20 Ad tertium, quod in dubio iura stant pro validitate actus. Respondetur in nostro casu non esse locum dubio, cum iam iure determinatum sit actum esse nullum, in quo non seruatur forma præscripta, vt supra probauimus, & ideo iura allegata non obstant.

21 Ad quartum. Respondetur

allegatam illationem nõ sequi, quia forma traditionis pallij fuit præscripta Prælatis inferioribus à Sede Apostolica; qua præscriptione Summus Põtifex non sibi ligauit manus aliter faciendi, & disponendi,
22 Princeps enim non ligatur legibus cum sit supra leges, *L. Princeps 31. ff. de legibus*, & ideo eius ommissio inualidat actus Prælatorum inferiorum, non autem ipsiusmet Summi Pontificis.
23 Quid ergo agendum est, si fortuito iuramentum huiusmodi omittatur à palliato. Responsio in promptu est, illud postea præstet in manibus eorumdem Prælatorum, vel alterius eorum, quibus fuerat demandata traditio pallij: nam sic retrotrahitur ista iuramẽti præstatio, & per consequens validantur actus traditionis, & receptionis pallij, *arg. c. quoties, 2. de pactis*, & per huius recep-
24 tionem iuramenti præsumuntur ratæ haberi à Sede Apostolica præcedẽtes pallij traditio, & receptio; ne culpa vnius vertatur in totius populi præiudicium, & damnum, iuxta *l. Barbarius, ff. de officio Prætoris*.

CAPVT XVII.

An Archiepiscopus possit præstare iuramẽtum fidelitatis in manibus cuiusuis alterius personæ præter deputatos à Sede Apostolica.

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmatiua.*
Delatio iuramenti requirit solum, vt præstetur.
2 *Iuramentum in cõtractibus totam vim recipit à deferente, & præstante.*
3 *Iuramentum præstitum nemine deferente, non prodest.*
4 *Habito fine, de medijs non curandum.*
5 *Finis iuramẽti in palliãdo quis?*
6 *Sententia negatiua.*
7 *Onus non remittitur, sed augetur, cum vni soluitur, quod alteri debetur.*
8 *Iuramentum non tenet, quando non præstatur sicut defertur.*
9 *Non delatum, nõ liberat ab oneribus actionum.*
10 *Delatum absenti, debet præstari in manibus Iudicis, vel ab eo delegati.*
11 *Verbum, debet, importat necessitatem.*

Iu-

12 *Iuramentum ad alicuius fauorẽ præstitum, debet ab eo recipi, vt obliget.*
13 *Inclusio vnius, exclusio alterius.*
14 *Iuramentum præstandũ in manibus deputati tantum.*
15 *Argumenta contrariæ sententiæ euacuantur, & n. 16. & 17.*

CVm supra probauerimus Archiepiscopũ teneri ad præstationem iuramenti fidelitatis ante pallij receptionem, insurgit difficultas, an possit illud præstare in manibus cuiusuis personæ, vel potius teneatur illud necessario præstare in manibus eorum dumtaxat Prælatorum, qui fuerunt à Sede Apostolica deputati ad tradendum illi pallium.

1 Pro parte affirmatiua videtur facere ipsa delatio iuramẽti, facta à D. Papa ipsi palliando, quæ de sui natura exigit, vt præstetur ab eo, cui defertur, *l. delata 9. C. de reb. credit. & iureiur.* ergo Archiepiscopus satisfacit delationi, si illud in cuiusuis manibus præstet, ergo potest ad libitum in cuius vis manibus præstare.

2 Secundò iuramentum in cõtractibus conuentionalibus appositum recipit totam vim à deferente, & præstante coniũctim, *arg. l. qui salutem, & l. non erit ratum, ff. de iureiurando*, & parum refert in cuiusluis manibus præstetur. Traditio, & receptio pallij est contractus cõuentionalis, quo & S. Pontifex conuenit cum recipiente tradere illi pallium sub iuramento fidelitatis, & recipiens recipere sub eodem iuramento, ergo iuramentum in eo appositum totam vim recipit à deferente, &

3 præstante: nam iuramentum præstitum nemine deferente non prodest, *l. prætor ait, §. eum, ff. de iureiur.* sed hic sunt delatio à D. Papa, & præstatio à palliando factæ; ergo in cuiusuis manibus iuramentum fiat, habet suam vim, & consequenter effectum primarium obligatorium, & alium secundarium effectum constituendi Archiepiscopum in suo esse Archiepiscopali per pallij receptionem.

4 Tertiò probatur. Habito fine, de medijs non curandum. *l. si sui natura, ff. quemadmodũ testamenta aperiantur*, sed per iuramentum fidelitatis ab electo Archiepiscopo præstitum in cuiusuis manibus, habetur finis, ad quem, & per quem illud defertur à Sede Apostolica; ergo nõ est curandum de medio, idest in cuiusuis manibus præstetur.

5 Finis iuramenti huiusmodi delati, & præstiti est, vt palliãdus recognoscat in Superiorẽ Summum Pontificem, & Sedẽ Apostolicam, & illi promittat obedire, seruire, & in omnibus pro suo posse opẽ ferre. *c. ego N.*

Epiſcopus 4. *de iureiur.* ſed iuramentum fidelitatis erga Sedem Apoſtolicam in cuiuſuis manibus præſtitum inducit huiuſmodi obligationem; quia iuramentum in re licita præſtitum de ſui natura obligat ad id, quod promittitur obſeruandum, *c. debitores* 6. *& c. ad noſtram* 7. *de iureiur.* ergo iuramentum in cuiuſuis manibus præſtitum, inducit finem huiuſmodi.

6 Pro parte negatiua facit primo textus in *c. ea te*, 22. *de iureiur. vbi Panor. n.* 1. *& Bal. in d. c.* ibi enim condemnatur Iudex Carolitanus ad repræſtandum iuramentum fidelitatis erga Sedem Apoſtolicam in manibus Archiepiſcopi Turritani, prout habebatur in mandatis, quia ſuæ obligationi non ſatisfecerat, quando illud præſtitit Archiepiſcopo Piſano; & ratio ibi

7 adducitur; quia onus non remittitur, ſed augetur, cum cuique improuidè ſoluitur, quod alij eſt ex debito præſtandum.

8 Secundò iuramentum non tenet, & ideo denuo præſtandum, quãdo non ita præſtatur, ſicut defertur, *l. qui per ſalutem* 33. *& l. non erit ratum* 5. *ff. de iureiur.* nam iuramentum ſemper tale, & eo modo præſtandum, quale defertur, *gloſ. in d. l. qui per ſalutem, in principio*, ſed hic palliando defertur, vt illud præſtet in manibus perſonæ ad id ſpecialiter deputatæ; ergo ſi in manibus alterius à deputata præſtatur, non tenet, & ideo de nouo præſtandum.

9 Tertiò iuramentum præſtitum à nemine ſibi deferente, non liberat ab oneribus actionum, *l. ait Prætor*, §. *eum*, *ff. de iureiur.* ſed iuramentum præſtitum in manibus alterius à deputato fit nemine ſibi deferente, quia idem eſt non deferre, ac non poſſe deferre, *arg. l. ſi aut nullum* 4. *C. de legit. hæred.* ergo iuramentum præſtitum in manibus alterius à deputatis, non liberat ab obligatione præſtandi illud in manibus deputatorum; ergo palliandus non poteſt præſtare iuramentum fidelitatis in manibus perſonæ ſibi bene viſæ, ſed neceſſario tenetur præſtare in manibus deputati.

10 Quartò iuramentum delatũ abſenti, vel debet ſub Iudice perſonaliter præſtari, vel ad eius domum mitti ſpecialiter perſona, in cuius manibus præſtetur. *l. generaliter* 12. §. *bis de præſentibus, &* §. *in omnibus caſibus, C. de rebus credit. & iureiur.* ergo quãdo palliando defertur iuramentum, vel debet illud perſonaliter præſtare ſub Summo Pontifice, id eſt in manibus Summi Pontificis, vel in manibus illius, qui ſpecialiter ad hoc mittitur à Sede Apoſtolica, ergo non poteſt in alterius mani-

11 bus præſtare; quia verbum, debet,

bet, importat necessitatem, & obligationem, c. *propòsuit* 25. §. *super quo*, *vbi gloss. in verbo*, *non debet*, *& c. oblatæ* 57. §. *licet*, *de appellat. l. si quis ex argentarijs* 6. §. *cogentur*, *ff. de edendo*.

12 Quintò iuramentum ad alicuius fauorem præstitum in tantum obligat, in quantum ab eo recipitur, ad cuius fauorem præstatur, *l. si itaque* 19. *ff. de iureiur. l. Labeo* 41. *eodē tit. c. 1. & c. si vero* 8. *de iureiur.* ergo vbi non recipitur ab eo, ad cuius fauorem præstatur, nō obligat; sed iuramentum fidelitatis pręstitū in manibus alterius à deputato non recipitur à D. Papa, ergo non obligat, ergo debet de nouo præstari.

Quod non recipiatur, patet; nō habet ille mandatum ad recipiendum, immo per deputationem alterius fuit exclusus à D. Papa; cum inclusio vnius sit

13 exclusio alterius. *c. nonne* 5. *de præsumpt. l. eum maritus*, *C. de Procur. l. cum Prætor*, *ff. de iudicijs*, *Surd. decis.* 195. *Menochius consil.* 141. *n.* 9.

Quod autem huiusmodi iuramentum habeat vim à recipiente, ad cuius fauorem fit, patet ex dictis *c. 1. & c. si vero*, vbi iuramentum persoluendi vsuras, quod alias ratione materiæ non obligaret, obligat nisi à creditore relaxetur.

14 Atque ita cōcludendum est, palliandum non posse in manibus alterius à deputato præstare iuramentum fidelitatis, & si præstet, nulliter præstare, & consequenter teneri de nouo illud præstare in manibus deputati.

15 Ad Argumenta in contrariū allata. Respondeo, & primo ad primum, iuramentum delatum à D. Papa palliando, debere præstari eo modo, quo defertur, videlicet in manibus deputati, vt ex rationibus, & argumentis pro secunda sententia allatis.

16 Ad secundum respondeo in contractibus conuentionalibus iuramentum non solum recipere vim à simplici delatione, & præstatione, sed à modo, quo defertur, & præstatur, vt ex textibus in secunda ratione pro secunda sententia adductis.

17 Ad tertium respondetur, nō haberi finem fidelitatis, quando iuramentum præstatur in manibus alterius à deputato, cum iuramentum recipiat suā obligationem ab illius receptione, quæ non potest fieri ab eo, qui non habet ius recipiendi, vt ex *c. ea te supra allegato*.



CA-

CAPVT XVIII.

An pallium vbique recipi, & deferri possit.

SVMMARIVM.

1 *Vsus pallij extra Prouinciam prohibitus.*
2 *Actus receptionis, & delationis differunt inter se.*
3 *Pontificalia nequeunt exerceri extra Diœcesim.*
4 *Consecratio Episcoporum etiam extra Prouinciā fieri potest.*
5 *Receptionis pallij non est locus proprius.*
6 *Pallium non recipiendum extra Prouinciam.*
7 *Prohibita censentur, quæ non sunt per legem permissa.*
8 *Concessum intra locum, prohibitum censetur extra illud.*
9 *Rustici testantur licitè sine solemnitatibus.*
10 *Limitatio tollit generalitatem.*
11 *In alternatiuis vna eorum pars necessario verificanda.*
12 *Pallium vbique recipi potest ex D. Papæ priuilegio.*
13 *Argumenta cōtraria diluuntur, & num. 14. & 15.*
16 *In receptione pallij non militat alternatiua.*
17 *Maior commoditas loci multiplex.*
18 *Receptio pallij non dependet ex maiori commoditate loci.*
19 *Genus in qualibet sua specie repræsentatur.*
20 *Receptio pallij extra locum præscriptum videtur inualida.*
21 *Contraria sententia verior.*
22 *Loci assignatio non est de essentia actus.*
23 *Collatio ordinum in aliena Diœcesi est punibilis, sed non inualida.*
24 *Delatio pallij denotat iurisdictionem in loco.*
25 *Argumentum in cōtrarium adductum refellitur.*
26 *Pœna non imponenda, nisi in iure caueatur.*
27 *Pallium videtur deferri posse vbique.*
28 *Proconsul extra Vrbem vbique insignia Proconsularia gestare potest.*
29 *Opposita opinio tenenda.*
30 *Neque ad suggestum deferri potest palliū, nisi sit inter Missarum solemnia.*
31 *Post tertiam decantatam Horā sumendum in Sacello.*
32 *Consuetudo contraria est corruptela.*
33 *Inditium superbiæ, & arrogantiæ.*
34 *Arrogantia omnino extirpanda.*

35 *Pal-*

35 *Pallium deferendum solum in Ecclesijs.*
36 *Diluuntur argumenta cõtraria.*

Dvæ hic discutiēdæ sunt difficultates. Prima an palliandus recipere possit pallium extra suam Diœcesim, quando illius traditio fuit per Sedem Apostolicam delegata vni, vel pluribus Episcopis, vt moris est.

1 Secunda est, An palliatus postea illud deferre queat extra suæ Diœcesis fines. Ratio dubitandi circa primam difficultatem videtur colligi, ex *c.* 1. *& ex c. ex tuarum* 5. *de author. & vsu pallij*, vbi solum prohibetur Patriarchis, & Archiepiscopis vsus pallij extra suas Prouincias, ergo illud potest

2 recipere vbique extra suā Prouinciam, cum actus receptionis, & delationis differant inter se, *l. eum qui rem* 10. *ff. commodati*, & propterea non videantur comprehensi sub eadem prohibitione; per receptionem enim recipitur facultas, & potestas deferendi pallium, & per delationem exercetur actus dictæ potestatis.

3 Secundò. Sicut Pontificalia exerceri nequeunt extra propriam Diœcesim per *Concilium Trident. sess.* 6. *c.* 5. *& sess.* 24. *de*

4 *reform. c.* 2. & tamen Archiepiscopus, & Episcopus possunt consecrari, & per consecrationem recipere potestatem Pontificalia exercendi extra suam Diœcesim per idem *Concil. sess.* 23. *de reformat. c.* 2. ita etiam Patriarcha, & Archiepiscopus recipere possunt pallium extra suam Prouinciā, & Diœcesim; cū in vtroque casu militet eadem ratio iurisdictionē requirens; ideoque eadem iuris dispositio debet esse.

5 Tertiò probatur ex *Pontificali Rom. tit. de pallio*; vbi habetur, conferri posse pallium palliando in sua Ecclesia, vel alia suæ Diœcesis, vel Prouinciæ magis cōmoda; ergo cum non sit locus receptionis pallij proprius, vbicumque recipi potest.

6 Contrarium decidendum existimo, videlicet non posse regulariter recipi pallium nisi in locis à iure, vel à Summo Pontifice expressis: prohibita

7 enim censentur, quæ non inueniuntur per legem permissa, *l. necnon* 28. §. *quod eis, vbi glos. in verb. prohibebant, ff. ex quibus causis maior. l.* 1. *ff. de testibus, c.* 1. *de translat. Prælat. c. Nuper* 29. *verb. in secundo, & c. cum illorum,* 32. *de sent. excommun. c. omnes, & ibi glos. dist.* 3.

8 Secundò. Quod intra locum concessum videtur, extra illum censetur prohibitum, *l. fin. C. de*

9 *testam.* vbi Rustici in iure excusantur à solemnitatibus testamentarijs, secus vero extra

ius,

rus, *Bald. in c.1.num. 2. de auth. & vsu pallij*, sed palliandis conceditur, vt in Ecclesijs suæ Diœcesis, vel Prouinciæ possint recipere pallium, ergo extra illas nequeunt recipere.

10 Tertio, Limitatio tollit generalitatem, *Paris. cons. 102 nu. 25. vol. 1.* Sed Pontificale Romanum loco cit. limitat receptionem pallij ad determinata loca, ergo tollit generalitatem, vt possit vbiq; recipi pallium.

11 Confirmatur ex dispositione concepta verbis alternatiuis in rubrica Pontificalis loco cit. Dicitur enim ibi, vt in Ecclesia sua palliandus, vel alia suæ Diœcesis, vel Prouinciæ debeat pallium recipere, ergo necessario in vna ex dictis Ecclesijs, & non alibi recipere debet pallium, cum dispositio subalternatiua necessariò requirat, vt vna illius pars exequutioni demandetur, *c. in Alternatiuis 70. de reg. iur. in 6. Decius in cap. inter cæteras 4. num. 26. de rescriptis.*

12 Dixi regulariter non posse recipi pallium alibi, quam in locis à iure præscriptis; quia ex D. Papæ priuilegio vbique recipi potest.

13 Ad rationes, & textus in contrarium adductos. Respondeo primo, locum recipiendi pallium esse à Pontificali Romano præscriptum, & ideo nō posse mutari absq; speciali Sedis Apostolicæ indulto.

14 Ad secundum Respondeo, consecrationem Episcoporum non vbiq; posse fieri, & nisi facienda sit Romæ, debet necessario fieri, vel in eiusdem Episcopi Diœcesi, vel in eius Prouincia, *per Concil. Trident. loco cit.* & ideo nihil probat contra nostram conclusionem.

15 Ad tertium, eodem modo respondetur.

16 Obijcies Pontificale Romanum iubet pallium recipi in Ecclesia palliandi, vel in alia suæ Diœcesis, vel Prouinciæ magis commoda, ergo non est locus simpliciter alternatiuæ, nisi quando alia Ecclesia sit cōmodior propria; ergo palliandus non potest arbitrio suo eligere locum receptionis; sed solum quando Ecclesia sit commodior altera.

17 Respondeo maiorem loci cōmoditatem pluribus ex capitibus considerari posse, primo ex situs, amplitudine, & capacitate, ex vicinitate tum ratione Coepiscoporum, qui ad traditionem pallij cōcurrere debēt, tum ratione frequentiæ, & commoditatis populi: secundo ratione ipsiusmet palliandi; tertiò ratione suppellectilis Ecclesiasticæ in functione huiusmodi adhibendæ, vel ratione maioris ornatus, demum ratione habitationis, ad quam recipere se possint Coepiscopi post exple-

pletam huiusmodi functionẽ.

18 His positis dico electionem loci non dependere ex omnimoda commoditate, sed satis esse, vt quomodocumq; altera ex præallegatis rationibus eligendus locus sit commodior, & ideo ab arbitrio palliandi pendebit eius electio, & consequutiuè est locus alternatiuæ: Pontificale enim generaliter loquitur de maiori commoditate, & ideo ista maior commoditas re-
19 præsentari verè, ac propriè potest in qualibet specie maioris commoditatis, cum genus in qualibet sua specie repræsentetur, *l. si quid earum* 45. §. *interemptum*, *ff. de legat.* 3. Igitur quando in aliqua ex præscriptis Ecclesijs erit quælibet maior commoditas, in ea poterit recipi pallium.

Ex præmissis insurgit dubitatio, an traditio pallij facta extra propriam Ecclesiam in loco non commodiori, sed deterioris conditionis, vel extra Prouinciam sit valida, & conferat iurisdictionem sic palliato.

20 Pro parte negatiua videtur textus in prædicta *l. fin. C. de testam.* vbi testamentum rustici factum sine solemnitatibus extra Villam non est validum, ergo etiam pallij receptio extra locum præscriptum nulla, & inualida est censenda.

21 Affirmatiuam, quidem sententiam existimo veriorem videlicet validè recipi, illicitè tamen, extra locum præscriptum,
22 quia loci assignatio non est de essentia actus traditionis pallij; sed solum quid extrinsecum, quod variari quandocumq; potest à superiore: si enim de substantia esset talis locus, variari nequiret, *l. 1. ff. de verborum obligat. Bart. in l. si quis ex argentarijs, §. si initium il 2. num. 23. ff. de edendo.*

Quod non sit de essentia traditionis pallij, patet ex illius formula à me superius allata, & probata, in qua ne verbum quidem de loci assignatione fit; ergo loci assignatio non est de essentia traditionis pallij.

23 Secundò probatur. Collatio ordinum facta in aliena Diœcesi est punibilis, sed non inualida, *Concil. Trident. c. 2. sess. 14. de reformat.* ergo pari ratione traditio pallij in aliena Diœcesi, & in loco non præscripto est punibilis, sed non inualida, & nulla, cum in vtroq; militet eadem prohibitionis ratio.

24 Tertiò probatur, non implicat, vt quis possit vti pallio, in aliena Diœcesi ex priuilegio de ordinarij loci licentia, *c. ex tuarum, de auth. & vsu pallij*, & nihilominus delatio pallij denotat plenitudinem officij, & iurisdictionem in loco: ergo multo magis non implicat, vt possit illud recipere; actus enim receptionis pallij solummodo tra-

tradit auctoritatem, & iurisdictionem respectu suæ Ecclesię; non autem loci, vbi recipitur, & receptio regulariter respicit effectum, ad quem aliquid recipitur, *d.l.eum, qui rem* 10.*ff. commodati*.

25 Ad rationem dubitandi in contrarium allatam, respondeo negãdo paritatẽ rationis; nã de testamẽto rustici sine solẽnitatibus facto extra rus lex expressè decernit illud inualidum, & nullum; de receptione verò pallij extra locum præscriptũ nullibi repetitur dispositum sub pœna nullitatis, ergo gratis dicitur receptionem pallij extra locum præscriptum esse in-

26 ualidam, & nullam; pœna enim non est imponenda, nisi expressò iure caueatur, *gloss. fin. in cap. fin. de Iurepatronatus*, *arg. c. is qui* 18. *de sent. excomm. in* 6.

Quo ad secundam difficultatem, an vbique deferri possit pallium.

27 Pro parte affirmatiua videntur facere primo textus in *cap. cum sis* 6. *de auth. & vsu pallij*, vbi statuitur, vt vbicumque fuerit Archiepiscopus, in Missarum celebrationibus possit vti pallio diebus solemnioribus.

28 Secundò textus, *in l.* 1. *ff. de officio Proconsulis*, vbi decernitur posse a Proconsule gestari vbiq; postquam ab Vrbe egressus fuerit, insignia proconsularia, licet iurisdictionem non habeat, nisi in sua Prouincia, & tamen insignia huiusmodi denotant iurisdictionem in eagestante; ergo simili modo Archiepiscopus, vbique extra Vrbem potest deferre cum insignibus Pontificalibus palliũ, etiam si hoc denotet iurisdictionem in gestanre, cum militet eadem ratio in vtroque.

29 Contrarium tamen suadent textus *in cap.* 1. *c. ad honorem, & c. ex tuarum, cum sequen. de author. & vsu pallij*, *& Pontificale Romanum in tit. de pallio*, vbi expressè prohibetur delatio pallij extra Prouinciam, extra propriam Ecclesiam; etiam si contingat Archiepiscopum ex illa exire processionaliter, & sacris indutum vestibus: & quod pluris momenti est, neque ad

30 suggestũ eiusdẽ Ecclesiæ occasione prædicandi populo Dei verbũ, nisi fiat intra Missæ celebrationem, quia tunc propter indiuisibilitatem prædicationis & Missæ censetur idem actus, vt bene aduertit *Maiolus de irreg. & can. impedim. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 9.

31 Neque licet pallium gestare à palatio Archiepiscopali ad Ecclesiam, quia debet assumi post cantatam Tertiã Horam in sacello Ecclesiæ, vbi Archiepiscopus paratur, ita *Cæremoniale lib.* 2. *cap.* 8. *Barbosa de Canonicis, & dignitatibus, cap.* 23. *nu.* 22. sed solum conceditur intra

Ec-

Ecclesias Prouinciæ propriæ, & assignatæ cuilibet Archiepiscopo.

32 Immo *in d.c. ex tuarum*, excluditur quælibet consuetudo in contrarium faciens, & appellatur potius corruptela, quam consuetudo.

Secundò, suadent omnium Doctorum Auctoritates, videlicet, *Innocen. Io. Andr. Panor. Butr. Felin. Anchar. & aliorum in d.c. ex tuarum, Turrecrem. in cap.1. num.10. dist.100.*

33 Tertiò, continuatus Ecclesiæ vsus, vt per *Pontificale Romanũ in tit. de pallio*, & propterea in *octauo Concilio generali can.27. de vsu pallij*, statuitur pallium non vltra statuta tempora, & loca deferri posse, ne signum sit su-

34 perbiæ, & arrogantiæ; arrogantia autem modis omnibus est extirpanda, *l.1. C. de priuatis carcer.*

35 Quartò probatur, Archiepiscopis conceditur delatio pallij non vbique in sua Diœcesi, & Prouincia, sed solum in illarum Ecclesijs, & nihilominus in tota sua Diœcesi, ac Prouincia habent iurisdictionem, ergo multo minus conceditur extra Prouinciam.

36 Ad *c. cum sis*, in contrarium allatum multipliciter respondetur, & primo cum ipsiusmet *rubrica, & glos.* illud, vbiq; intelligi de Ecclesijs suę Diœcesis, & Prouinciæ.

Secundo respondetur, specialiter, & expressè prohibitũ non venire sub generali concessione, quando generalitas verificari potest in ijs, quæ regulariter solent concedi, & cum istud, vbique, verificetur in Ecclesijs suæ Diœcesis, & Prouinciæ, ideo non potest comprehendere alienam Diœcesim, & Prouinciam, cùm hoc difficillimè, & nonnisi specialiter soleat concedi.

37 Tertiò dictum c. determinari, & declarari per præcedentia *c.1. & c. ex tuarum 5. eodem tit.* in quibus solum cõceditur delatio pallij in propria Diœcesi, & Prouincia, & consuetudo in contrarium appellatur corruptela: & non est nouum vnam legem posteriorem declarari per aliam præcedentem, *l. ideo 27. vbi Bart. de legibus.*

38 Ad *l.1. ff. de officio Proconsulis.* Respondetur. Proconsulibus expressè concessum fuisse deferre insignia sui officij extra suam Prouinciam, Archiepiscopis verò expressè prohibitam delationem pallij extra Diœcesim, & Prouinciam, & ideo nulla est illatio, cum à diuersis non valeat illatio, *l. fin. vbi Bart. ff. de calumniator. Parisius cons.18. n.10. vol.1.* & non militet in vtroq; eadem ratio.

CA-

CAPVT XIX.

Archiepiſcopus poſt pallij receptionem ſi illud ex incendio amittat, vel alio infortunio, an teneatur de nouo recurrere ad Sedem Apoſtolicam, vel aliud ſimilead libitum ſibi conficere poſſit.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiſcopus amittens pallium ex incendio, &c. videtur poſſe ſibi aliud conficere.*
2 *Non eſt prohibitum Archiepiſcopo accommodare alteri ſuũ pallium.*
3 *Per pallium recipitur nomen Archiepiſcopi, & iuriſdictio.*
4 *Per fortuitam amiſſionem pallij non amittuntur dignitas, & iuriſdictio.*
5 *Pallium in exercitio Pontificalium ſolum denotat dignitatem, & non iuriſdictionem.*
6 *Non prohibetur confectio alterius pallij poſt primum amiſſum.*
7 *Contraria ſententia communior.*
8 *Pallium neceſſariò ſumendum de corpore B. Petri.*
9 *Archiepiſcopus cum pallio debet ſepelliri.*
10 *Habet vſum talis pallij tantum.*
11 *Et priuilegium extenditur tantum ad pallium à Sede Apoſtolica receptum.*
12 *Alias poſſet ſubrogare ſibi alterius palllium.*
13 *Subrogatio alterius pallij non exprimitur in priuilegio.*
14 *Subrogatio conceditur in indulgentijs.*
15 *Conſuetudo prohibet ſubrogationem alterius pallij.*
16 *Nouum pallium non ita facile conceditur loco deperditi.*
17 *Archiepiſcopus priuandus pallio, qui illud ex negligentia amittit.*
18 *Simon Denza Patriarcha Caldeus amiſit pallium, & nouum à Sede Apoſtolica recepit.*
19 *Archiepiſcopus Manfrodien. pro amiſſo pallio mittit ad Sedem Apoſtolicam.*
20 *Prima ſententia nõ penitus improbabilis.*
21 *Argumenta contraria diluuntur &*

& num. 22. & 23.

24 *Magna temeritas ampliãdi privilegia superioris, eo inconsulto.*

ARchiepiscopus Bremen. recepto pallio à Sede Apostolica Bremam proficiscẽs facto naufragio amisit suam suppellectilem, & cum ea pallium; quæritur, an de nouo illud recipere de manu Sedis Apostolicæ teneatur, vel possit ad libitum aliud sibi conficere.

1 Io. Andreas in *c. ad hoc, n. 2. de auctor. & vsu pallij* videtur opinionem affirmatiuam sequi, idest posse Archiepiscopum loco pallij deperditi aliud sibi ad libitum conficere; ibi enim

2 dicit non esse prohibitum Archiepiscopo accommodare suum pallium ad instruendum Sartorem, vt aliud conficiat. Quæ sẽtẽtia probatur primò. Recipere pallium de manu Sedis Apostolicæ est necesse, vt

3 Archiepiscopus per dictam receptionem recipiat, & nomen, & iurisdictionem Archiepiscopalia; sed per pallium deperditum iam receperat nomen, & iurisdictionem Archiepiscopalia: ergo non est necesse, vt aliud loco deperditi recipiat à Sede Apostolica, ergo potest sibi ad libitum conficere nouũ.

4 Probatur secundò. Per fortuitam pallij amissionem Archiepiscopus non amisit alias legitimè, & canonicè receptas dignitatem, & iurisdictionem Archiepiscopales; ergo potest exercere Pontificalia, & iurisdictionalia in sua Ecclesia, & Prouincia, vt prius ante amissionem pallij; ergo pallium in

5 exercitio Pontificalium non confert iurisdictionem, sed solum denotat iurisdictionem, & dignitatem Archiepiscopales iam receptas: ergò parum refert an sit idem, quod à D. Papa receperat, vel aliud simile, quod sibi Archiepiscopus fabricauerit; cum æque bene vtrunque significent iurisdictionem, & dignitatem receptas.

6 Probatur tertiò. Nullibi reperitur prohibitum, quod non possit Archiepiscopus sibi conficere nouum pallium post primum deperditum, vel vsu consumptum: & nulla potest assignari disconuenientia in contrarium; ex altera vero parte adest legitima causa, ergò præsumitur cõcessum, *l. necnon 28. ff. ex quibus caus. maior. 25. ann. in int. restit. l. 1. ff. de testibus.*

7 Contraria sententia videtur communior, quod teneatur redire ad Sedem Apostolicã pro nouo pallio, *Roder. à Cunha in suo Commentario ad c. palliũ 10. dist. 100.*

8 Probatur primò. Pallium, vt pallium, necessario desumendũ est de corpore S. Petri. *c. significasti 4. de elect. & ibi DD. cõmuni-*

F

muniter, ſed niſi accipiatur de manu D. Papæ, nõ erit deſumptum de corpore B. Petri, vt ſupra probauimus: ergo Archiepiſcopus tenetur de nouo petere, & accipere de manu D. Papæ, ergo non poteſt ſibi nouum conficere.

9 Probatur ſecundò. Archiepiſcopus debet cũ pallio, quod accepit à Sede Apoſtolica ſepelliri. *c. ad hoc, de auct. & vſu pallij*, ergo non poteſt illud mutare, ergo non poteſt aliud de nouo ſibi conficere.

10 Probatur tertiò. Archiepiſcopus non habet vſum pallij in genere, ſed in indiuiduo, & ſolum talis pallij; & in tali Eccleſia. *c. 1. c. ex tuarum, de auct. & vſu pallij, c. Bonæ 4. de poſtulat. Prælat.* ergo non poteſt vti quolibet pallio, ſed ſolum ſibi ab Apoſtolica Sede tradito, *c. ad hoc cit.* ergo nõ poteſt aliud loco deperditi ſibi conficere, ſed debet denuo à Sede Apoſtolica recipere.

11 Probatur quartò. Archiepiſcopo competit ex priuilegio vſus pallij, d. *c. ex tuarum*, ſed priuilegium eſt limitatum ad ſolum palliũ ſibi à Sede Apoſtolica traditum, vt expreſsè habetur d. *c. 1. eodem tit.* ergo in caſu deperditionis debet aliud à Sede Apoſtolica recipere, & non ſibi conficere ad libitum.

12 Probatur quintò. Si poſſet Archiepiſcopus ſibi nouũ pallium conficere, & ſubrogare in locum deperditi, ſequeretur, quod poſſet etiam prædeceſſoris ſui prædefuncti pallio vti, loco deperditi: ſi enim in eius poteſtate eſſet eligere, & ſubſtituere aliud in locum deperditi poſſet quodcumque aliud eligere, ergo etiam pallium ſui prædeceſſoris, cum militet eadem ratio in innouatione, & alterius electione, quod nullo modo dicendum eſt, vt ſupra plene probauimus.

13 Prob. ſextò. Ex ſtylo Principis concedentis. Quando enim D. Papa vult in aliquo priuilegio reali, & pſonali ſubrogationem rei, caſu quo illa deperdatur, expreſsè id in litteris priuilegij declarat, prout eſt in priuilegijs, & indulgen-

14 tijs; quæ conceduntur toreumatibus, ſacris Crucibus, & ſimilibus, in quorũ litteris exprimitur, quod vno amiſſo, poſſit aliud in eius locum ſubrogari, & ex tali ſubrogatione, res ſubrogata gaudeat eiſdem priuilegijs: ſed in priuilegio pallij non exprimitur huiuſmodi ſubrogatio, ergo Archiepiſcopus nõ poteſt aliud pallium ſubrogare propria auctoritate, ſed debet nouum à Sede Apoſtolica petere; cum vbi expreſſum requiritur, non ſufficit tacitum, & præſumptum. *c. 2. de preben. c. fin. de procur. in 6.*

15 Probatur ſeptimò. Ex conſue-

ſuetudine communiter recepta repetendi,& recipiendi nouum pallium à Sede Apoſtolica, de qua mihi atteſtantur moderni Subdiaconi Apoſtolici, & Præfecti cæremoniarum ſacri Palatij Apoſtolici: ad illos enim ſpectat confectio palliorum, vt alias diximus; ad hos vero intereſſe, quando traduntur palliandis, vel eorum procuratoribus; & in confirmationem mihi exhibuerunt infraſcriptū notabile, quod hic reſcribere prout illius verba ſonant operepretium duxi. Si pallium amittitur, aut vſu conſumitur,
16 recurritur ad S. D. Papam, qui committit nouam traditionem per viuæ vocis oraculum alicui Cardinali, qui curam habere debet de miſſione, conceditur autem cum multa reſiſtentia, & abſque vlla cæremonia,& inſciente primo Diacono Cardinali, ne deducatur in vſum, & hoc fit ex mera Papæ benigni-
17 tate, & ex gratia ſpeciali, cum ob negligentiam Archiepiſcopi, qui pallium amiſit, deberet priuari de vſu eiuſdem pallij. Habetur exemplum tempore ſ. m. Gregorij XIII. qui conceſſit in forma ſupradicta nouū
18 pallium Reuerendiſſimo D. Simoni Denzæ Patriarchæ Mozalen Caldæo de anno 1584. hæc ſunt præciſa verba mihi à Reuerēdiſſimo D. Chriſtophoro Faccialieta Subdiacono Apoſtolico, & moderno Camerario Collegij Subdiaconorum Apoſtolicorum in ſuo prædicto notabili mihi conſignato.

19 Modernum adeſt etiam exēplum Reuerendiſſimi D. Antonij Marùli Archiepiſcopi Mā̄fredonień, cui proficiſcenti ad ſuam Eccleſiam tota ſuppellectilis vna cum pallio fuit deprædata; hic inſtitit Sedi Apoſtolicæ pro nouo pallio, & à D. Papa Vrbano VIII. tunc regnā̄te obtinuit. Conſuetudo quidem habet vim legis, *l. de quibus 32. cum ſequen. ff. de legibus*, ergo in caſu amiſſionis Archiepiſcopus nō poteſt ſibi pallium conficere, ſed debet nouum à Sede Apoſtolica obtinere.

20 Licet primam ſententiam nō penitus improbabilem exiſtimem, attamen ad argumenta pro illius probatione. Reſpon-
21 deo, & primo ad primam reſpondeo totam argumenti vim eſſe, vt Archiepiſcopus non egeat nouo pallio, vt nominetur Archiepiſcopus,& exercere poſſit Pōtificalia, quod nos vltra concedimus, ſed ſolum negamus poſſe Pontificalia exercere cum alio pallio à Sede Apoſtolica ſibi non tradito,& ideo in caſu amiſſionis debet recurrere ad Sedem Apoſtolicam,& interim ſine pallio exercere Pontificalia, vt bene etiam aduertit *Roder. de Cunha, loco cit.*
22 Ad ſecundum eodem mo-

do respondetur.

23 Ad tertium respondetur negando antecedens, in materia enim priuilegiorum, ea solum censentur concessa, quæ sunt expressa; & reliqua prohibita, & propterea debent seruari in rebus, in quibus loquuntur. *c. plantare 3. & c. petisti 20. de priuilegijs, Panor. in c. cum per ordinem 6. n. 2. de rescriptis*, & alij, sed in priuilegio pallij Archiepiscopo cōcessi est expressus tantum vsus pallij, quod à D. Papa traditur d. *c. 1. de auct. & vsu pallij per illa verba concedimus tibi pallium, vt eo vtaris, &c.* ergo censetur solum concessus vsus pallij habiti à D. Papa, alterius vero prohibitus.

24 Equidem magna disconueniencia est, vt inferior inconsulto superiore, velit ampliare, & extendere, quod superior restrinxit, & limitauit.

CAPVT XX.

An receptio Pallij ante captam possessionem Archiepiscopatus suffragetur.

SVMMARIVM.

1 *Canonica non videtur receptio pallij ante captam Archiepiscopatus possessionem.*
2 *Accessorium non præcedit, sed subsequitur suum principale.*
3 *Receptio pallij est accessorium Archiepiscopatui.*
4 *Pallium traditur ad vsum suæ Ecclesiæ.*
5 *Res non dicitur sua, sine capta possessione.*
6 *Pallium conceditur Archiepiscopo translato post translationem.*
7 *Collatio plenitudinis Archiepiscopalis potestatis præsupponit potestatem captæ possessionis.*
8 *Prælatus ante possessionem captam nō potest administrare.*
9 *Possessio ex consuetudine præcedit pallium.*
10 *Archiepiscopus nō expectatis nouis Bullis potest recipere pallium, & exercere Pontificalia in sua Prouincia.*
11 *Iura incorporalia nō dependent à corporali actu possessorio.*
12 *Beneficium acquiritur ex collatione, & acceptatione.*
13 *Per consecrationem conferuntur iura Pontificalia, per pallium eorum exercitium.*
14 *Omnis iurisdictio, & potestas Ecclesiastica immediatè profluit à Sede Apostolica.*
15 *Archiepiscopus statim receptis Bullis suæ prouisionis potest conferre beneficia, & exercere iura Pontificalia.*
16 *Bullæ Archiepiscopatus expediũtur*

tur in forma gratiosa.

17 *Prælatus cõfirmatus absque installatione potest administrare iura suæ Prælaturæ.*

18 *Clausula concepta per verba tẽporis præteriti perfecti, denotat actum completum, & perfectum.*

19 *Solus Papa præficit Episcopos, Archiepiscopos, &c.*

20 *Ad Clerum spectat honorem, & obedientiã præstare suo Prælato, non autem in possessionem mittere.*

21 *Installatio nullum ius tribuit Archiepiscopo.*

22 *Ex consuetudine inducta, non suffragatur.*

23 *Consuetudo grauosa Ecclesijs nõ prodest.*

24 *Sufficit acceptio pallij ad iurium Archiepiscopalium exercitiũ.*

25 *Pallium est accessorium Archiepiscopatui, sed non installationi.*

26 *Electus acquirit Ecclesiam per suæ electionis confirmationẽ.*

27 *Translatio Archiepiscopi fit per voluntatem D.Papæ, non autem per installationem.*

28 *Respõsio ad alia argumẽta, & 29*

ARchiepiscopus N. prouisus de Archiepiscopatu, receptis suæ prouisionis Bullis cum eas Capitulo Metropolitano præsentasset, Canonici recusauerunt illum in possessionem mittere, eo quod caracteres dictarum Bullarum essent fortuitò ex imbribus, marinisque fluctibus delitæ: opus fuit ad Sedem Apostolicam transmittere pro conficiendis nouis Bullis, quæ dum expectantur, superuenere ab eadem Sede litteræ, quibus Nuntio illarum partium demandabatur traditio pallij, earumq. vigore dictus Archiepiscopus illud recepit; dubitatũ fuit, an canonica fuerit huiusmodi receptio ob non captã Archiepiscopatus possessionẽ, & an potuerit exercere Pontificalia in dicta Prouincia, non expectatis dictis nouis Bullis.

1 Quoad primam dubij partem discrepantes fuerũt opiniones. Aliqui enim existimarunt pallij receptionem non fuisse canonicam, eo quod non præcesserat Archiepiscopatus possessio, & innituntur probare.

2 Primò. Accessorium subsequitur suum principale, & non præcedit, *l.etiam, C.de iure dotium. c. Accessorium, de reg.iuris in 6.Surdus de alim. tit.9. q.31. n.8. cũ sequen. & decis.88.n.10.*
3 *Menoch. cons.58. n.13. cum sequen.* sed receptio pallij est accessorium Archiepiscopatui. *c.Nisi, de auct. & vsu pallij,* ergo subsequitur possessionem Archiepiscopatus, & nõ præcedit: ergo non potest recipi ante adeptam possessionem.

4 Secundò. In traditione pallij dicitur ad vsum suæ Ecclesiæ, ergo præsupponit illius adeptam

5 ptam possessionem, nam res nõ dicitur sua, cuius non est quis adeptus possessionem. *l. Quintus Mutius* 11. *ff. de argen. & auro legat.*

6 Probatur tertiò. Ex *c. Bonæ, il 2. de postul. Prælat. in fine*, vbi S. Pont. prius absolutum Archiepiscopum Colocen̄ à vinculo suæ Ecclesiæ, transfert ad Ecclesiam Strigonien̄, & postea promittit ei transmittere nouum pallium, ergo possessio Archiepiscopatus debet præcedere, & postea subsequi traditio, ac receptio pallij, & non è conuerso.

7 Probatur quartò. Per traditionem pallij confertur plenitudo Archiepiscopalis potestatis, ergo præsupponit in recipiente præcedentem aliquam potestatem: sed non potest assignari nisi ea, quam Archiepiscopus per adeptam actualem sui Archiepiscopatus possessionem consequitur; cum Prælatus ante captam suæ Prælaturæ
8 possessionem non possit administrare, quantumcumque fuerit institutus, & cõfirmatus, vt volunt *Archid. in c. eum qui, de præben. in 6. Dinus in c.* 1. *de reg. iuris in 6. Anch. in regula, sine possessione, de reg. iuris in 6.* ergo ante captam Archiepiscopatus possessionem traditio pallij nõ suffragatur.

9 Quintò probatur. Consuetudo est optima legũ interpres. *c. cum dilectus*, 8. *de consuetud. l. si de interpretatione* 37. *ff. de legibus*; consuetudo autem est, vt prius Archiepiscopus adipiscatur possessionẽ sui Archiepiscopatus, & postea consequatur pallium; ergo recipi debet pallium post adeptam Archiepiscopatus possessionem; ergo si ante recipiatur, illegitimè recipitur.

10 His tamen non obstantibus, existimo Archiepiscopum legitimè recepisse pallium, & potuisse exercere Pontificalia in sua Prouincia, non expectatis nouis Bullis.

Ad hoc censendum adducor primò, quia

11 Iura incorporalia non dependent à corporali actu possessorio ad eorum consequutionem, sed sufficiunt concessio, & acceptatio: & propterea eo ipso, quod præcedat collatio beneficij, & subsequatur acce-
12 ptatio, rataque habeatur collatio, beneficium efficitur acceptantis, qui comparat proinde ius in re in dicto beneficio. *c. si tibi absenti, de præben. in 6.* ergo plenitudo iurium Archiepiscopalium non dependet à corporali possessione; ergo palliũ, per quod confertur, & nomen, & plenitudo iuris Archiepiscopalis, potest legitimè recipi ante corporalem captam Archiepiscopatus possessionem.

13 Secundò. Per consecrationem

nem

nem conferuntur iura Pontificalia: *c. licet, de translat. Episcopi, c. quod sicut, §. super eo, & c. cum in cunctis, & c. nosti, de elect.* ergo solùm ramanet obtinendum ius illa exercendi in propria Prouincia; sed hoc nõ dependet à corporali possessione, sed à traditione, & receptione pallij, d. *c. Nisi, de auct. & vsu pallij*, ergo potest palliũ legitime recipi ante corporalem captam Archiepiscopatus possessionem.

14 Tertiò. Omnis Ecclesiastica iurisdictio, & potestas profluit immediatè à Domino Papa in cæteros Prælatos. *cap. in nouo testamento, dist. 21. c. loquitur 24. quæst. 1.* & propterea Archiepiscopus statim, atque recepit litteras suæ prouisionis, potest conferre beneficia, & iura Archiepiscopalia exercere, *Rebuf. in sua praxi Beneficiaria in tit. de simonia in resignatione, n. 48.* ergo iura Archiepiscopalia immediatè recipiuntur à Domino Papa: ergo non depẽdent à corporali Archiepiscopatus possessione; ergo legitimè traditur, & recipitur palliũ ante Archiepiscopatus possessionem corporalem.

16 Quartò litteræ Apostolicæ super prouisione Archiepiscopatus non expediuntur in forma commissaria cum clausula præcipuè, quatenus si est ità; adeò vt verificari debeant in eis contenta; sed in forma gratiosa, quæ non requirunt ad gratiarum in eis contentarum perfectionem, alienum arbitriũ, & exequutionem, sed per se ipsas sufficiunt, & in possessionem mittunt impetrantem, *cap. Apostolicæ 6. cum sequen. de Priuilegijs in 6.* ergo possessio corporalis per Capitulum, vel Clerum Archiepiscopo tradenda non est necessaria ad receptionem pallij, & iurium Archiepiscopalium plenitudinem recipiendam.

17 Quintò, Prælatus electus statim post suæ electionis confirmationem potest absq; alia installatione, & inuestitura administrare in spiritualibus, & temporalibus, in iudicio, & extra *c. Transmissam, vbi Ioan. Andr. num. 6. Innocen. Bellam. Panor. num 3. Anchar. num. 3. Butrius num. 1. & num. 17. de elect. Decius in cap. postquam 3. num 18. eodem tit. Io. de Imola in c. suffraganeis nu. 1. eodem tit. Oldrad. cons. 146, factum tale est, in fine de consuetudine, & DD. communit.* ergo si non requiritur installatio ad iura Archiepiscopalia exercẽda, multo minus ad illa acquirenda; ergo electus Archiepiscopus potest recipere pallium, & exercere plenitudinem Archiepiscopalis potestatis, absque præcedenti installatione.

Sextò, Ponderandæ sunt clau-

ſulæ ipſarum bullarum Archie piſcopatus, quæ apponuntur
18 per verbum temporis præteriti perfecti denotantia actum com pletum, & perfectum. Dominus enim Papa in illarum conclusionibus denunciat, tàm Ca pitulo, & Clero, quàm Populo, & Vniuerſitati Metropoliticæ Eccleſiæ, *Hodie Eccleſiæ N. de perſona dilecti filij N. prouidimus, ipſumq; illi in Archiepiſcopum præ*
19 *fecimus, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ N. ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo.* non dicit, nos prouidimus, vos autem præficite, ſed nos prouidimus, & præfecimus, quæ verba actum perfectum, & com pletum demonſtrant. præterea ſubiungit, plenarie curam, &c. committendo, ad denotandum dictum N. iam ab ipſomet D. Papa in poſſeſſionem omnium iurium Archiepiſcopalium miſ ſum fuiſſe, & ideo aliena, ideſt eorum opera, ad hoc non egere: plenarium enim dicitur, quod adiectione non indiget, *Bald. conſ. 379. incipien. quando, in princ. lib. 3. Card. Tuſcus lit. D. concluſ. 330. num. 1.* illiuſq; ſolum demandat, vt tanquam patri, & paſtori animarum ſuarum obedientiam, & honorem præſtēt; ergo ad Clerum, & Capitulum
20 ſpectat obedire, & honorare electum Archiepiſcopum, non autem in poſſeſſionem mittere iurium Archiepiſcopalium; ergo iam præſupponitur electus Archiepiſcopus habere iura Archiepiſcopalia; ergo iura Archiepiſcopalia non dependent à corporali poſſeſſione Archiepiſcopatus per Capitulum, & Clerum tradenda; ergo receptio pallij nō dependet à prædicta corporali poſſeſſione: ergo ante illam legitimè recipitur.

21 Septimò. Nullo iure reperitur inſtallationem aliquid iuris conferre Epiſcopis, & Archiepiſcopis, vt bene notat *Bellam. in c. tranſmiſſam, num. 3. de elect.* ergo gratis allegatur neceſſaria.

22 Octauo. Si inſtallatio eſſet neceſſario, maximè eſſet, quia videtur ex conſuetudine, quæ vim legis habet, introducta, ſed hæc non ſuffragatur, ergo nullo modo videtur requirenda.

23 Quod non ſuffragetur conſuetudo, patet; quia huiuſmodi conſuetudo eſt grauoſa Eccleſijs, ergo prodeſſe nequit, *c. cum cauſa, de re iudicata, vbi Innocen. & c. 1. de conſuetud. Io. Andr. in c. tranſmiſſam, num. 6. vbi Bellam. num. 4. de elect.* quod ſit grauoſa, ratio eſt, quia, ſi talis cōſuetudo induceret neceſſitatem in Archiepiſcopo, eneruaretur, bonum obedientiæ erga D. Papæ mandata, & ſucceſſiuè etiam neruus Eccleſiaſticæ diſci-

disciplinæ, *arg.c.Nulla, dist.93.* vt DD. supracitati dicunt, & propterea affirmant installationem esse ad quandam solemnitatem, qua prima vice Canonici, & Clerus solemnem honoris, & obedientiæ tributum exhibent suo superiori, non autem ad necessitatem: & non inde sequitur, quod ad cessationem istius tributarij actus, careat Prælatus sua iurisdictione, & superioritate.

Concludendum igitur est Archiepiscopum electum legitimè recepisse pallium à D. Sedis Apostolicæ Nuntio ante installationem, non expectatis nouis suæ prouisionis litteris, & per consequens licitè potuisse exercere Pontificalia in sua

24 Prouincia, quia ad exercitium omnium iurium Pontificaliũ in Prouincia solum requiritur receptio pallij, *c. nisi, de auct. & vsu pallij*, & per alia iura, & DD. auctoritates supra allegata.

25 Ad argumenta primæ sententiæ in contrarium allata, & primo ad primum. Respondeo concedendo pallium esse quid accessorium Archiepiscopatui, sed nego esse accessoriũ installationi per Clerum faciendæ; nam sequitur Archiepiscopatũ, etiam vbi nulla adest, neque potest regulariter adesse installatio, prout est in Patriarchis, & Archiepiscopis tantum titularibus, & vbi nullum adest territorium; & per consequens Clerus: & propterea nulla argumenti vis.

26 Ad secundum respondetur, Ecclesiam Archiepiscopalem esse factam electi per eius electionem confirmatam, vt supra probauimus, & ideò argumentum corruit.

27 Ad tertium respondetur, cõcedendo totum: nam prius trãsfertur Archiepiscopus, & postea conceditur pallium, vt in allegato *c. bonæ*, non tamen inde sequitur, quod translatio fiat per installationem, & actum possessorium emanantem à Clero; sed translatio fit immediatè à voluntate Summi Pontificis, & perficitur per litterarum Apostolicarum expeditionem, vt per vulgarem illam Cancellariæ regulam. Gratiæ non suffragantur, nisi expeditis litteris.

28 Ad quartum Respondetur; per traditionem pallij conferri plenitudinem Archiepiscopalis potestatis, & præsupponi in recipiente aliquam præcedentem potestatem, idest eam, quam electus adeptus est per suæ electionis confirmationem; non autem præsupponit aereã potestatem, quam authores cõtrariæ sententiæ gratis admittunte, manantem ab illorum installatione, & absq; vllo iuridico fundamento.

29 Ad quintum, de consuetudine, Respondetur, consuetudinem esse, vt Clerus per aliquot determinata signa suum Prælatum prima vice excipiant peculiari honore, & corporis, animiq; submissione, non autē, vt per huiusmodi actus ei conferatur aliqua iurisdictio, & potestas, vt supra probauimus.

CAPVT XXI.

An Capitulum, & Clerus ex sola inspectione litterarum concessi pallij electum Archiepiscopum teneantur recipere, illiq; obedire.

SVMMARIVM.

1 *Prælati non debent accedere ad suas Ecclesias sine Bullis suæ promotionis.*
2 *Subditi non tenentur illos recipere absq; litterarum ostentione.*
3 *Asserenti se cum mandatis Principis venisse non creditur, nisi scriptis probet.*
4 *Mandata dubia non sunt exequutioni demandanda.*
5 *Certitudo omnem dubitationem excludit.*
6 *Vbi maius periculum, ibi cautius agendum.*
7 *Legis præcepto obtemperans, cōsultè agit.*
8 *Instrumenta, cuius litteræ non sunt legibiles non probant.*
9 *Archiepiscopus expeditis Bullis suæ prouisionis, licet ante illarum exhibitionem fortuitò deleantur, potest licitè iura Archiepiscopalia exercere.*
10 *Ex accessorio arguitur factum principale.*
11 *Per concessionem talis pallij, quis cōstituitur Archiepiscopus talis Ecclesiæ.*
12 *Certus de mandato Domini Papæ tenetur illi obedire.*
13 *Clerus tenetur recipere suū Prælatum, quando exhibentur litteræ Apostolicæ continentes illius promotionem.*
14 *Formula litterarum concessionis pallij.*
15 *Ex litteris concessionis pallij cōcludenter probatur promotio Archiepiscopi.*
16 *Archiepiscopus ex sola pronunciatione Domini Papæ fit Archiepiscopus.*
17 *Scripturæ exhibitæ coram Iudice ordinario, & ab eo admissæ, probant.*

As-

18 *Assertioni, & narratiuæ Domini Papæ de facto proprio stan dum est.*
19 *Responsio ad argumenta in contrarium adducta.*
20 *Cautius proceditur in receptione sui Archiepiscopi per litteres concessionis pallij.*
21 *Litteras concessionis pallij directè continent promotionem Archiepescopi.*
22 *Clerus tenetur recipere suum Archiepiscopum, eique obedire exhibitis litteris concessionis pallij.*

CVm superiori Capitulo probauerimus electū Archiepiscopum, & confirmatum receptis litteris suæ prouisionis, & pallij, non egere ad iurium Archiepiscopalium exercitium, & administrationē installatione, seu inuestitura per Capitulum, & Clerum sibi facienda, insurgit difficultas, an Clerus ex sola litterarum suæ prouisionis vt supra deletarum ostensione, & exhibitione aliarum litterarum concessionis pallij teneantur illi debitos honores, ac obedientiam præstare, & videntur non teneri.

1 Ratio est, quia Bonifacius VIII. in *sua extrauaganti iniunctæ, S. præsenti de electione*, sanciuit, ne Episcopi, alijque Prælati superiores ad suarum Ecclesiarum regimen accedant, earumq. administrationem accipere præsumant, absque litteris suam promotionem, &
2 confirmationem cōtinentibus, nullique eos absque dictarum litterarum ostentione recipiant aut eis pareant sub pœnis in eadē constitutione inflictis; ergo nisi exhibeātur litteræ huiusmodi, nō tenētur illū recipere, eiq. obedire, sed Archiepisc. iste litteras non potuit exhibere, nisi deletas, ergo non continentes suam promotionem, & confirmationem; ergo Clerus non tenetur illum recipere, eique obedire.

3 Secundo, Asserenti se cum mandatis Principis venisse, non creditur, nisi hoc scriptis probet, *l. vnica, C. de mand. st. Princ.* ergo Clerus non tenetur credere electo, se fuisse à Domino Papa confirmatum, cum non possit hoc per litteras deletas probare, & litteræ concessionis pallij non satis probent.

4 Nemo exequi tenetur mandatum Sedis Apostolicæ, nisi de illo certus fiat, *c. cum in iure 31. de officio Delegati*, Clerus autem certus fieri nequit de mandato Domini Papæ per litteras deletas, & alias litteras concessionis pállij, quia probabiliter de earum tenore, validitate, & efficacia dubitari potest: ergo non tenetur exequi mandatū de recipiendo Archiepiscopū electum. Certitudo enim omnem dubitationem excludit,

c si

c. si beneficia 12. vbi glos. in verbo certiores, de præben. & dignit. in 6. c. cum contingat 24. vbi glos. in principio, de rescript.

6 Quarto, vbi maius periculum, ibi cautius agendum, *cap. vbi periculum 3. de elect. in 6. Imola cons.* 147. *num.* 13. *Menoch. cons.* 73. *num.* 19. Sed maius est periculum in recipiendis Prælatis sine legitimis probationibus, ergo cautius in illis recipiendis agendum est, ergo Clerus non tenetur recipere electum Archiepiscopum cum litteris deletis, ex quibus nulla oritur probatio, & cum litteris concessionis pallij, quæ non fuerunt expeditæ ad probandam electi Archiepiscopi promotionem.

7 Quintò. Legis præcepto obtemperans consultè agit, *l. in ciuilem, C. de furtis, l. filiæ licet, C. de Collat.* sed Clerus non admittens electum Archiepiscopum cum litteris deletis dictæ Constitutioni Bonifacij obtẽperat; ergo consultè agit; ergo benè agit; ergo non tenetur recipere etiam vigore litterarum cõcessionis pallij.

8 Sextò, instrumenta, cuius litteræ non sunt legibiles, vel deletæ, non probant, *cap. inter dilectos 6. de fide instrumentorũ, vbi Panor. & DD.* ergo bullæ promotionis, & confirmationis, cum legi nequeant, & litteræ sint deletæ, non probant ipsum electum fuisse confirmatum, ergo Clerus non tenetur illum recipere, eique obedire; ergo si non tenetur vigore litterarum continentium directè electi promotionem, multo minus tenetur vigore litterarum concessionis pallij, quæ indirectè eam continent.

His tamen non obstantibus, existimo Clerum debuisse recipere electum Archiepiscopũ cum litteris fortuitò deletis, sed adminiculatis alijs litteris sibi concessi pallij, & adducor.

9 Primò, quia electus Archiepiscopus paruit dictæ Constitutioni Bonifacij VIII. expeditione litterarum suę promotionis, & confirmationis, vt præsupponitur, & ideò tuta conscientia, & liberè potuit accedere ad suam Ecclesiam, eãq. administrare, dictasq. litteras exhibuit, licet deletas, attamen adminiculantur alijs litteris ab eadem Sede Apostolica emanatis super sibi concesso pallio, ergo potest, & debet recipi in Archiepiscopum à Clero.

10 Secundò. ex accessorio arguitur factum principale, *l. Accessorium, de reg. Iuris in 6.* Accessorium est expeditio litterarum concessionis pallij, ergo ab expeditis litteris cõcessionis pallij, arguitur expeditio facta litterarum promotionis, & confirmationis, cum prius quis præficiatur Ecclesiæ Archiepisco-

ſcopali, & poſtea concedatur pallium, vt ſupra probauimus.

11 Tertiò. Per conceſſionem talis pallij conceditur nomen Archiepiſcopale, & plenitudo poteſtatis in tali Eccleſia, ergo per litteras conceſſionis talis pallij declaratur N. Archiepiſcopus cum plenitudine poteſtatis in tali Eccleſia; ergo Clerus ſufficienter efficitur certus per dictas litteras, quod dictus electus fuerit promotus, & cō-
12 firmatus Archiepiſcopus talis Eccleſiæ, ſed qui certi fiunt de mandato Domini Papæ tenentur illi obedire, d.*c.cum in iure*, ergo Clerus tenetur recipere in Archiepiſcopum dictum electum, illique obedire.

13 Quartò. Ex allegata Conſtitutione Bonifacij VIII. Clerus, & omnes tenentur recipere ſuum Prælatum, eique obedire, quando ſibi exhibentur litteræ, ex quibus certò habeantur illius promotio, & confirmatio: ſed ex litteris cōceſsionis pallij certò habentur illius promotio, & cōfirmatio, ergo Clerus tenetur recipere Archiepiſcopum exhibentē litteras Apoſtolicas conceſsionis pallij: quod autem dicti Archiepiſcopi promotio, & cōfirmatio expreſſa, & certa habeatur, patet ex infraſcripto earundem litterarum tenore.

14 *Cum nos nuper Eccleſiæ N. tūc per obitum bo. me. A. Archiepiſcopi N. extra Rom.nam Curiā defuncti Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua nobis, & fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorundem conſilio Apoſtolica auctoritate duxerimus prouidendum, præficiendo te illi in Archiepiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur, & poſtmodum pallium inſigne videlicet plenitudinis Pōtificalis officij ex parte tua, &c.*

15 Quibus verbis indubitanter S. Pontifex atteſtatur dictum electum fuiſſe à ſe promotum, & confirmatum in Eccleſiæ N. Archiepiſcopū, & litteras alias expeditas; quas ipſe Clerus præ manibus habuit, ſolito Pōtificis ſigillo munitas, ex fortuita ſolùm marinorum fluctuū inundatione deletas, ergo tenetur recipere, & obedire electo Archiepiſcopo.

16 Quintò. Archiepiſcopus ex ſola pronunciatione D. Papæ ſtatim dicitur eſſe Archiepiſcopus, *Felin. in c. meminimus n.2. ver. limita, de accuſat. Pariſ. de reſignat. benef. l.8. to.2. quæſt.2. n.10. Decius in rubr. de Conſtit. 1. lect. n.38. Bal. in l.humanum, in fin. C. de leg. Scot. in 4. diſt.7. quæſt.1. de confirmat. propè finem*; ſed D. Papa pronunciat dictum N. Archiepiſcopum, non ſolum per pronunciationē oretenus factam, ſed in Bullis con-

concessionis pallij redactam,& affirmat à se illum præfectum Archiepiscopum, & Pastorem d. Ecclesiæ: ergo ille est verè Archiepiscopus dictæ Ecclesiæ; sed hoc legitimè ad notitiam deuenit Cleri per dictas litteras concessionis pallij, ergo Clerus tenetur illum recipere, eique obedire.

17 Quod ad legitimam notitiã deuenerit, probatur; notitia prouenit ex litteris Apostolicis præsentatis coram Nuntio Apostolico, & ab eo admissis, ergo legitima est. *c. fin. de fide instrument. l. publicari 2. & l. testamenta omnia 18. C. de testam.* sed habita legitima notitia promotionis sui Archiepiscopi tenentur Capitulum, & Clerus illum recipere, eique obedire ex dicta Constitutione Bonifacij VIII. iniunctæ, ergo tenentur vigore litterarum cõcessionis pallij illum recipere, eique obedire, etiam non expectatis nouis Bullis.

18 Sextò. Assertioni, & narratiuæ D. Papæ standũ est, quando agitur de facto proprio, nec opus est alia verificatione, & probatione. *Clem. 1. de probat. Tiraq. de retract. leg. §. 1. Glos. 14. n. 49. Oldr. cons. 258. n. 6. ver. item non obstat. Gabriel. de probat. concl. 5. n. 2. & nu. 13. Mascardus de probat. concl. 139. n. 1. Farinac. de testib. quæst. 63. n. 92. & sequen. Veral. decis. 186. par. 2. Rota decis. 405. sub n. 1. par. 1. recent. Card. Cavaler. decis. 533. n. 1. Vbald. Sen. in Farfen. Nullius Monasterij, & Prioratus 26. Aprilis 1624.* sed promotio, & præfatio d. Archiepiscopi est factum Domini Papæ propriũ, ergo illius assertioni, ac narratiuæ positæ in litteris concessionis pallij standum, nec opus est alia verificatione, & probatione; ergo Capitulum, & Clerus tenentur vigore litterarum concessionis pallij recipere suũ Archiepiscopum, eique obedire.

19 Ad argumenta in contrariũ allata. Respondeo, & primo ad primum. Clerum non debuisse, nec potuisse, ex sola exhibitione litterarum prouisionis, & promotionis ob deletas litteras recipere suum Archiepiscopũ, sed debuisse propter exhibitionem, & inspectionem litterarum concessionis pallij, in quibus D. Papa asserit à se electum promotum, & præfectum Ecclesiæ N. in Archiepiscopum fuisse, & propterea cõcedere illi pallium plenitudinis Pontificalis officij in dicta Ecclesia.

Ad secundum respondeo. Electum Archiepiscopum exhibendo litteras concessionis pallij concludenter probare suam promotionem, & ideò illi credendum.

Ad tertium respondeo: per litte-

litteras concessionis pallij Clerum certum fieri de promotione sui Archiepiscopi,vt per rationes pro secunda sententia allatas, & ideò tenetur illum recipere, & obedire.

20 Ad quartum respōdeo; cautius procedi per litteras concessionis pallij,quàm per litteras promotionis, quia ante receptionem pallij electus, nec se nominare Archiepiscopum potest. *c.nisi, de auctor. & vsu pallij*.

Ad quintū respondeo, Clerum non consultè obtemperare Constitutioni Bonifacij VIII. dum non recipit suum Archiepiscopum vigore litterarum sibi concessi pallij, quia Constitutio prædicta iubet,vt *Prælati* admittantur,eisque præstetur obedientia, quando litteras Apostolicas exhibent suam promotionē continentes, prout sunt litteræ cōcessionis pallij.

21 Ad sextum respondeo, litteras concessionis pallij directè continere promotionem,& confirmationem electi Archiepiscopi,cū pallium non concedatur Archiepiscopo, nisi post suæ electionis confirmationē, & ideò nulla argumenti vis.

22 Concludendū igitur est Clerum debuisse, & potuisse recipere suum Archiepiscopum vigore litterarum suæ promotionis, quæ, licet essent à marinis vndis deletæ,attamen sufficientem, & cōcludentem corroborationē recipiebant à litteris concessionis pallij, atque ità nimio, & indiscreto rigori locum detrahere.

CAPVT XXII.

An Patriarchæ, Archiepiscopi, &c. possint in omnibus solemnitatibus, & functionibus vti pallio.

SVMMARIVM.

1 *Gregorius Magnus arguit Ioãnem Episcopum Rauennaten. de pallij abusu*.

2 *Pallium à salutatorio ad Missæ celebrationem deferendum, & ibidem deponendum*.

3 *Archiepiscopus sine pallio celebrare non præsumat, & n.4.*

5 *Sed in diebus tantum in priuilegio expressis*.

6 *Festiuitates pro pallij vsu præscribuntur, & n.7.*

8 *Tempus in specie appositum, habet præcisam naturam*.

9 *Li-*

9 *Limitat dispositionem, & prohibet extensionem.*
10 *Priuilegium obseruandum in rebus expressis.*
11 *Antiquitus pallium nullo modo spectabat ad Patriarchas, Archiepiscopos, &c.*
12 *S. Malachia non statim factus Archiepiscopus Hiberniæ obtinuit pallium.*
13 *Refelluntur argumenta, opposita sententiæ, & n. 14.*

1 GRegorius Papa, cognomento Magnus *tom. 4. in Regestro Epist. lib. 2. indict. 11. epist. 54. ad Ioannem Episcopum Rauennaten. & in can. contra morem, dist. 100.* arguit dictum Ioannem, quia extra Missarum solemnia vteretur pallio. *Tibi non putauimus, inquit, ignotum, quod penè de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum extra Missarum tempus vsum sibi pallij vindicasse, & quod benè hanc consuetudinem generalis Ecclesiæ noueritis, vestris nobis manifestissimè significastis Epistolis.*

2 Idemque eodem *tom. lib. 4. indict. 13. Mariano Episcopo Rauennat. epist. 54. Non aliter te vti memineris pallio, nisi in propria tua Ciuitatis dimissis iam filijs Ecclesiæ procedēs à salutatorio ad sacra Missarum solemnia celebranda. peractis verò Missis idem in salutatorio rursum curabis deponere*, ergo in omnibus solēnitatibus licet Patriarchis, & Archiepiscopis deferre pallium, dum Missam solemnem celebrant. *c. pallium, dist. 100.*

3 Secundò probatur. In Concilio 1. Matisconeñ *can. 6.* statuitur vt Archiepiscopus sine pallio Missas dicere nōn præsumat; sed Archiepiscopi saltem in omnibus solēnitatibus Missas celebrare debent; *arg. c. 14. sess. 23. Conc. Trid.* ergo in omnibus solēnitatibus possunt vti pallio.

4 Tertiò probatur, ex *c. cum sis 6. de auct. & vsu pallij*, vbi expressè habetur, vt vbicumq. palliatus fuerit in Missarum celebrationibus constitutus, diebus solemnibus vti liberè possit pallio.

5 Contrarium tamen decidēdum censeo cum *glos. in c. ad honorem, vers. ad honorem, de auct. & vsu pallij, Io. And. in c. 1. n. 1. & in c. cum sis, eodem tit. Butr. in d. c. ad honorem, n. 6. & in d. c. 1. nu. 10. Anchar. in d. c. ad honorem, vbi etiam Panorm. n. 1. Goffred. in sum. nu. 4. Hostien. & c. in sum. n. 5. eodem tit. Durand. in Rationale Diuinorū, lib. 3. c. 17. de pallio, n. 13. ex c. fin. eodem tit.* vbi decernitur nō licere Archiepiscopo deferre pallium nisi diebus in suo priuilegio expressis.

6 Secundò probatur, ex dicta *glos. in vers. ad honorem, quam DD. communiter sequuntur, &*

Turre-

Turrecrem. in c. Episcopos, n.19. dist.100. Hæc enim ibi enumerat præscriptas festiuitates, & functiones, quibus Archiepiscopus, &c. possint vti pallio.

7 Tertiò probatur. Ex Pontificali Romano, tam antiquo, quàm moderno, & ex nuper de mandato Vrbani Octaui reformato, in quo semper præscriptæ fuerunt, & præscribūntur solēnitates, quibus Patriarchæ, & Archiepiscopi possunt vti pallio.

8 Quartò probatur. Tempus in specie appositū habet præcisam naturam. *l. si in diem, ff. de condit. & demonstrat. Bald. in l.1. quæst.9. in fin. C. de instit. & substit. Dec. in c. super eo, n.23.*
9 *de appellat.* & propterea limitat dispositionem. & prohibet extensionem, *l. Titius, ff. de milit. testam. l. cum stipulamur, & l. si à colono, ff. de verb. obligat. l. si ita, ff. de auro, & arg. legat. Bald. in c. constitutus, n.22. de rescriptis*, sed in concessione pallij est appositum tempus in specie, ergo prohibet extensionē; ergo Patriarchæ, &c. non possunt vti pallio in omnibus solemnitatibus, & functionibus, sed in ijs tantum, quæ exprimuntur in priuilegio concessionis suæ.

10 Quintò probatur. Priuilegium debet purè obseruari in rebus, in quibus loquitur. *c. porrò, de priuileg. glos. in c. fin. in ver. postulatio, de translat. Episcopi, Panor. in c. cum ordinem, n.2. de rescript. Decius in c. cum accessissent, n.59. de constit. sed Patriarchis, &c.* competit ex priuilegio pallium. *c. fin. de auctor. & vsu pallij*; antiquitus
11 enim pallium non habebat cōnexionem cum dignitate Patriarchali, Archiepiscopali, vel Primitiali, vt refert *Alber. Picolus de antiquo iure Ecclesiæ Siculæ par.1. cap.9. & 10.* S. Bernardus in vita S. Malachiæ Hi-
12 berniæ Archiepiscopi scribit illum post multū tempus à Metropolitica dignitate accepta, obtinuisse pallij ornamentum, ergo priuilegiū pallij purè obseruari debet in rebus, in quibus loquitur; sed loquitur ad limitatos dies, ergo vsus pallij priuilegiatus debet obseruari in diebus priuilegio tantum præscriptis.

13 Ad auctoritates, & rationes pro contraria sententia allatas. Respondeo illas habere locum in solemnioribus Missarum celebrationibus, quas Archiepiscopi regulariter facere solent in solemnitatibus, & functionibus in priuilegio pallij expressis, & propterea arguuntur, qui extra illas pallio vtuntur.

Ad locum *Concil. Trid.* Respondeo intelligendum esse simpliciter de obligatione Missam priuatim, & non solemniter celebrandi; cum ibi Conci-

lium loquatur de omnibus Sacerdotibus; & Episcopis imponat onus cogendi illos, vt saltem Dominicis diebus, & festis solemnibus Missam celebrent, & ideo videtur ad directionem subditorum Sacerdotum debere Archiepiscopos, & Episcopos suo exemplo præcedere, dictisq; saltem diebus Missam celebrare.

Pallij veró vsus solum est in solemnibus Missarum celebrationibus, *Turrecrem. in cap. pallium, dist. 100. & DD. communiter.*

CAPVT XXIII.

An Patriarchæ, & Archiepiscopi possint deferre pallium in Ecclesijs exemptis suæ Diœcesis, & Prouinciæ.

SVMMARIVM.

1 *Locus exemptus est in Diœcesi, sed non de Diœcesi.*

2 *Archiepiscopus non videtur vti posse pallio in loco exempto.*

3 *In sua tantum Prouincia potest exercere Pontificalia.*

4 *Adiectiuum, suum, importat dominium, & iurisdictionem.*

5 *Pontificalia non habent necessariam connexionem cum pallio.*

6 *Maior vis expressi, quam taciti.*

Expressum facit cessare tacitũ, & præsumptum ibidem.

7 *Insignia denotantia iurisdictionem, & præeminentiã in loco non possunt deferri extra illud.*

8 *Archiepiscopus potest vti pallio in loco exempto.*

9 *Priuatio præsupponit habitum, quo quis priuatur:*

10 *Exemptio liberat ab alterius iurisdictione.*

11 *Archiepiscopus potest exercere Pontificalia in loco exempto.*

12 *Per delationem pallij præiudicat loco exempto.*

13 *Crucis ante se delatio respicit dignitatem, non autem iurisdictionem.*

14 *Ante Archiepiscopum non potest deferri, vbi est D. Papa, vel eius Legatus.*

15 *Priuilegium necessariò concedit aliquid speciale.*

16 *In Archiepiscopo non est speciale Pontificalia exercere sine pallio.*

17 *Diluuntur argumenta contraria, & n. 18. 19.*

20 *Non est vniuersaliter verum, quod maior sit vis expressi, quam*

quam taciti, & num. 21.

22 *Insignia iurisdictionalia non deferuntur extra locum iurisdictionis.*

23 *Archiepiscopus non potest ordinare, degradare, &c. etiam suum subditum, absque loci ordinarij licentia.*

1 CVm loca exempta etiam si sint in Diœcesi, & Prouincia Patriarchæ, & Archiepiscopi, attamen censeantur, & sint extra illorũ iurisdictionem, ac si existerent extra Diœcesim, & Prouinciam; locus enim exemptus est in Diœcesi, & Prouincia, *Panor. in c. Apostolicæ 9. num. 3. de donat. Felin. in c. graue, num. 5. de Priuileg.* sed non de Diœcesi, & Prouincia, vt docet *Riccius in sua praxi variarum resol. resol. 43. nu. 1.* & propterea dicunt esse in illorum Diœcesi, & Prouincia tantum materialiter, & non formaliter, quoad iurisdictionalia, cum nequaquam pertineant ad illorum Diœcesim, & Prouinciam, quoad iurisdictionem, *Suarez de Cens. disp. 5. sect. 4 nu. 5. Palud. in 4. dist 18. q. 2. Barbosa parte 2. allegat. 80. nu. 9. Auila de Cens. parte 2. cap. 3. disp. 2. dub. 5.*

2 ideo non videtur licere Patriarchæ, & Archiepiscopo deferre pallium in loco exempto, quod denotat plenitudinem officij & iurisdictionem in loco, in quo defertur, vt superius probauimus.

3 Secundò Patriarchis, &c. per Concil. Triden. & sacros alios Canones conceditur facultas celebrandi Pontificalia in Ecclesijs suæ Diœcesis, & Prouinciæ, idest in Ecclesijs, vbi habent iurisdictionem, & dominium, *c. ad honorem 4. §. alij autem, de auct. & vsu pallij* (hoc

4 enim importat illud adiectiuũ, suæ, arg. *l. Quintus Mutius 11. in fin. ff. de arg. & auro legat.* & optimè notat *Panor. loc. cit.*) sed in Ecclesijs exemptis nullam habent iurisdictionem, & dominium, ergo non possunt in illis deferre pallium.

5 Tertio, non videtur necessaria illatio. Possunt exercere Pontificalia in aliena Diœcesi, & Prouincia, ergo ibi etiam possunt deferre pallium; cum Põtificalium exercitium non habeat necessariam connexionẽ, cum pallij delatione; & exerceantur etiam ab Episcopis, & Abbatibus, qui vsum pallij non habent: immo ab eisdem Patriarchis, & Archiepiscopis, aliquando exerceri debeant sine pallio, *d. c. ex tuarum*; & ideo quando illis conceditur Pontificalia exercere in loco exempto suæ Diœcesis, & Prouinciæ, per *Clemen. Archiepiscopo 2. de Priuileg.* non necessario inferendum est etiam concedi vsũ pallij, sed satis concessum intelligitur, vt celebrent cum Anu-

lo, Mitra, Sandalijs, Baculo, & alijs insignibus, quæ denotant dignitatem; vt notat. *glos. in d.Clemen.Archiepiscopo*, quam sequuntur *Hostien. in summa, num.5.de auct.& vsu pallij, Panor. & alij DD.*

Nam in dicta Clemen. conceditur Archiepiscopo in loco exempto diuina officia priuatim, & publicè audire, & ea etiam celebrare in Pontificalibus, idest cum anulo, mitra, vt supra, prout requirit Canonicarum horarum, & Missæ Pōtificalis celebratio, quæ, vt supra diximus, etiam à Patriarchis, Archiepiscopis fit sine pallij delatione; ergo non ex eo quod illis conceditur diuinorū officiorum celebratio, intelligenda est concessa delatio pallii, nisi exprimatur in priuilegio.

6 Quartò, Maior est vis expressi, quam taciti, *l.nonnunquam, & l.si in diem, §.fin.ff. de condict. & demonstrat.l. expressa nocent, vbi Decius, ff.de regul.Iuris*; expressa autē est prohibitio vsus pallii in Ecclesia, in qua Archiepiscopus non habet iurisdictionem, *d.c.ad honorem, §.alij autem*, tacita autem præsumptio illius concessionis per dictā Clemen. ergo maior est vis expressæ prohibitionis, quàm præsumptæ tacitæ concessionis; ergo expressum facit cessare tacitum, & præsumptum, *arg.l.ex filio, §.filio impuberi, ff.de vulgari, & pupillari, & l.Maritus, C. de procur.Surd. cons.157.nu.22.* & prohibitio expressa vsus pallii in aliena Ecclesia facit cessare præsumptam ex d. Clemen. Archiepiscopo; ergo Archiepiscopus non potest vti pallio in Ecclesia exempta.

7 Probatur quinto, insignia denotantia iurisdictionem, & præeminentiam in loco, non possunt deferri extra locum iurisdictionis *Panor.in c. ex tuarum, num.8.de auct.& vsu pallij*, sed pallium est insigne iurisdictionale, *c. ad honorem, eodem tit.* ergo non potest deferri extra locum iurisdictionis, ergo non in loco exempto.

8 His tamen non obstantibus oppositam sentētiam existimo veriorem, cum *glos. in d. Clem. Archiepiscopo*, quam sequuntur ibi *Zabarella num. 10 & Panor. num.3.& in cap.1.vbi Io Andr. num.1. Butr.num.12.de auct. & vsu pallij. Durandus in Rationale diuinorum lib.3.cap. 17. nu. 11. Quaranta in verbo Archiepiscopi auctoritas nu. 32. Barbos. de officio, & potestate Episcopi par. 1.tit.4 num.4. præstantia 23.& quamplurimi alij apud eumdem.*

Probatur primò. Locus exēptus verè est in Diœcesi, vel Prouincia (licet nō sit de Diœcesi, vel Prouincia, vt per DD.
9 supracit.) Exemptio enim, cum sit priuatio, præsupponit habitum

tum, quo quis priuatur, *l. decem 116. ff. de verb. oblig. l. si se non obtulit 4. §. condemnatum, ff. de*
10 *re iudicata*; per exemptionem enim quis liberatur à dominio, & iurisdictione illius, cui antea erat subiectus, *l. sed eximendi 4. ff. ne quis eum, qui in ius voc. vi eximat, l. is cum quo 56. ff. de peculio*; sed Patriarchis, & Archiepiscopis est concessus vsus pallij in Ecclesiis suæ Diœcesis & Prouinciæ, *cap. 1. de auct. & vsu pallij*, ergo etiam in Ecclesiis exemptis, cũ verè existant in sua Diœcesi, & Prouincia.

11 Secundo probatur, Patriarchis, & Archiepiscopis licitũ est in Ecclesiis exemptis suæ Diœcesis, vel Prouinciæ Pontificalia exercere per dictam Clemen. Archiepiscopo de Priuileg. ergo etiam pallium deferre, quando illa exercere cõtingat diebus, & functionibus in priuilegio expressis, cum semper quædam Pontificalia exerceant in sua Prouincia cũ pallio, *d. c. 1. de auct. & vsu pallij*, prout est consecrare Episcopos, ordines conferre, & similia.

12 Tertiò probatur, Priuilegiũ cõcessum Archiepiscopis exercendi Pontificalia in locis exẽptis est absq; præiudicio exẽptionis, & aliorum priuilegiorũ dicti loci, prout dicitur in dicta Clem. Archiepiscopo; sed non per aliud Archiepiscopus præiudicare potest exemptioni, & priuilegiis loci exempti, nisi per delationem pallii, quod denotat iurisdictionem, vt supradiximus; ergo si, conceditur priuilegium exercendi Pontificalia cum tali reseruatione, conceditur cum delatione pallii, quod solum præiudicare potest.

13 Quod autem solùm per delationẽ pallii Archiepiscopus possit præiudicare priuilegiis exemptorum locorum, patet, quia per Crucis delationem an te se non præiudicat, cum Crucis delatio dignitatem respiciat non autem iurisdictionem, *Vincen. de Franchis decis. 711. nu 4.* Patriarchæ enim vbique illam ante se deferre possunt extra
14 Romam, & vbi non sit præsens D. Papa, vel eius Legatus vtens insignijs Apostolicæ dignitatis, *c. Antiqua 23. §. 2. de Priuileg.* & tamẽ extra suas Prouincias nullam habent iurisdictionem; multo minus potest præiudicare celebratio diuinorũ officiorum, videlicet horas Canonicas, & Missam cum anulo, mitra, & sandalijs, & baculo celebrare, cum hæc absque priuilegio ab Archiepiscopis, & Episcopis celebrari possint vbiq; & similiter respiciant dignitatem, non autem iurisdictionem; ergo per solam pallij delationem infertur præiudicium priuilegio exemptionis, & ideo pri-

priuilegium dictæ Clemen. Archiepiscopo intelligitur de vsu pallij.

15 Quartò probatur. Priuilegiũ non est priuilegium, nisi concedit aliquid speciale, *cap. Abbate, §. contra quod de verborum significatione, cap. in his, in fine, de Priuilegijs, cap. fin. 25. q. 1.* ergo priuilegium dictæ Clem. Ar-

16 chiepiscopo, non est Pontificalia simpliciter exercendi sine vsu pallii, cum possit vbiq; de simplici licentia Ordinarii locorum, & hoc habeat commune cum Episcopis, & Abbatibus Mitratis *c. Episcopi, vel Presbyteri 7. q. 1. Concil. Trid. c. 5. de reformat. sess. 6.* ergo priuilegiũ huiusmodi necessario intelligẽdum est de vsu pallii.

17 Ad argumenta in contrariũ allata, Respondetur priuilegiũ Archiepiscopis concessum loqui expresse de locis exemptis & ideo est priuilegium circa vsum pallii, non autem circa Pontificalia simpliciter exercenda sine pallio, quæ etiam extra Diœcesim, & Prouinciã exerceri possunt de licentia saltem Ordinarij locorum, *d. cap. Episcopi, & cap. nullũ, 9. quæst. 2.* & multo magis in locis exemptis suæ Diœcesis, alias non esset priuilegium: dictum enim priuilegium loquitur de Ecclesijs suæ Diœcesis, non autem de Ecclesijs, quæ sint de sua Diœcesi; & ideo distinctio allata non obstat.

18 Ad secundum, Respondetur negando sequelam: nam illud adiectiuum, suæ, non cadit in Ecclesijs, sed in Diœcesi, & Prouincia, & ideo infert iurisdictionem in Diœcesi, & Prouincia; non autem in omnibus Ecclesiis: & satis est, quod habeat iurisdictionem, & dominium in Diœcesi, & Prouincia, in qua est Ecclesia exempta.

19 Ad tertium, Respondetur concedendo non esse simpliciter necessariam illationem ex concessione Pontificalium ad vsum pallii, quando ex alio non colligatur illatio huiusmodi; prout est in casu dictæ Clem. Archiepiscopo, & probauimus supra in tertio argumento nostræ sententiæ.

20 Ad quartum, Respondetur Propositionem non esse simpliciter, & vniuersaliter veram, quod maior sit vis expressi, quã taciti: nam multi dantur casus, in quibus tacitum est potẽtius expresso; & illud destruit; & ideo tacita renunciatio, quæ ex l. dispositione inducitur, potentior est expressa, *c. de quarta 3. de præscript. Decius in c. iurauit num. 24. de probat.* vide quamplures alias limitationes apud *Cardinalem Tuscum tomo 8. littera T. concl. f. 11.* & ideo non obstat nostræ sententiæ ob rationes alias superius allatas.

21 Secundò, Respondetur maiorem

iorem esse vim expressi, quam taciti, & expressum facere cessare tacitum, & præsumptum; nisi tacitum ex circumstantiis violenter præsumatur, vt expressum, prout est in nostro casu dictæ Clemen. expressum enim dicitur, quod ex mente, & coniecturis colligitur, *Surd. decis.254.num.37.*

22 Ad quintum respondetur. Insignia iurisdictionem denotantia non posse extra locum iurisdictionis deferri de iure communi, secus est ex priuilegio, *c.ex tuarum 5.de auctor. & vsu pallij*, *Panor.in cap. 1. vt lite non contextata*, prout est in nostro casu.

23 Hic nota, quod licet Archiepiscopus possit vti pallio in tota sua Diœcesi, & Prouincia, etiam in loco exempto, non tamen potest ibi ordinare, degradare, chrismare etiam suum subditum, & alia similia facere, absque licentia Ordinarij loci, *glos. in dicta Clem. Archiepiscopo, in verbo etiam celebrare, quam DD.communiter sequuntur Concil. Trident. cap. 5. de reformat. sess.6.*

CAPVT XXIV.

An Archiepiscopus, qui ex priuilegio habet vsum pallij in aliena Prouincia teneatur petere licentiam ab illius Metropolita, vel ab Ordinario loci.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex Ordinarius ordinariorum.*
2 *Priuilegium vsus pallij in aliena Prouincia non videtur exposcere licentiam Ordinarij loci.*
3 *Inferior ad priuilegium concessum à Superiore se habet merè passiuè.*
4 *Priuilegium prædictum requirit necessariò licentiam Ordinarij loci.*
5 *Priuilegium Principis sine alterius iniuria.*
6 *Vsus pallij in aliena Prouincia infert iniuriam.*
7 *Priuilegium vni concessum intelligitur sine alterius præiudicio.*
8 *Priuilegium vsus pallij in aliena Prouincia, quid operetur.*
9 *Priuilegium limitatum parit effectum limitatum.*

Me-

QVinque hic insurgunt difficultates. Primo, an sit necessariò petenda licentia à Metropolita, in cuius Prouincia vult Archiepiscopus priuilegiatus cum pallio exercere Pontificalia. Secundò, An denegari possit huiusmodi licentia. Tertiò. An petita, & non obtenta huiusmodi licentia adhuc possit licitè vti pallio. Quartò. An sufficiat licentia Ordinarij Ecclesiæ, in qua vult vti pallio. Quinto. An Episcopus palliatus, & exemptus possit huiusmodi licentiam concedere, absque Metropolita.

1 Ad primam ergo; cum Sũmus Pontifex sit Ordinarius ordinariorum omnium Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum. *c. per tuas 40. de senten. excommunic. c. 1. de officio Legati, c. cuncta per mun-*

mundum, & c. per principalem 9.
2 *quaest.3.* & propterea cui concedit priuilegium vtendi pallio in aliena Prouincia, praesumitur concedere etiam licentiam illo vtēdi, vt Ordinarius illius Prouinciae; ergo non est necesse aliam licentiam ab immediato illius Prouinciae Ordinario petere.

3 Secundò probatur. Inferior ad priuilegiū à superiore emanatum habet se merè passiuè, patiendo illius effectum: Archiepiscopus est inferior: ergo se habet merè passiuum ad priuilegium à D.Papa emanatum; sed qui habet se merè passiuè ad priuilegium à D.Papa emanatum non potest impedire illius effectum. *c. cum inferior, de maior. & obedient. l. formam, C. de officio Prator.* ergo frustra, & sine necessitate requiritur licētia Metropolitae, seu loci Ordinarij pro vsu pallij in aliena Prouincia, vigore priuilegij à D. Papa obtenti.

4 Contrarium decidendum est cum *Archid. in c. pallium, nu.2. dist.100. Hostien. in summa, de auct. & vsu pallij, §. & quo loco, n.6. Io. Andrea in c. ex tuarum, n.9. & ibi Innoc. & Anchuran. n.1. & Butr. n.6. de auct. & vsu pallij, vbi etiam Panor. nu.4. & in c. cum sis, nu.3. eodem tit. & Goffred. in summa, eodem tit. n.5.*

5 Probatur primò, ex *l.1. §. si quis à Principe, ff. ne quis in loco publicō;* priuilegiū Principis intelligitur sine alterius iniuria, ergo etiam à Papa concessum intelligitur sine alterius iniuria; sed si Archiepiscopus in aliena Prouincia celebrare posset ex priuilegio cum pallio absque Metropolitae licentia, priuilegium huiusmodi inferret Metropolitae iniuriam; ergo non est praesupponendum concessum cum simili iniuria; ergo licentia huiusmodi est petenda.

6 Quod autem vsus pallij in aliena Prouincia, absque Metropolitae licentia, & dependētia inferat iniuriam, patet, quia pallij absolutus vsus indicat superioritatem, & praelationem in loco. *c. ad honorem, de auct. & vsu pallij*, & alias probauimus, sed superioritatē, & praelationem ostentare in aliena Prouincia infert iniuriam proprio illius Prouinciae superiori; ergo huiusmodi vsus pallij infert iniuriam.

7 Secundò probatur. Priuilegium vni concessum intelligitur sine alterius praeiudicio. *cap. licet, de officio ordinarij, c. super eo, de Decimis in 6. l. ex facto, ff. de vulgari, & pupillari substit. Panor. in c.1. de rescript. n.10. & in d. c. ex tuarum, nu.5. vbi Butrius n.4. & Innoc. n.1. Bald. in c. cum olim, n.7. de consuetudine*, ergo priuilegium concessum vtēdi pallio in aliena Prouincia, intelligitur sine Prouin-

ciæ illius Metropolitæ præiudicio. Præiudicium autem esset si sine illius licentia posset quis in eius Prouincia vti pallio, cũ proprium sit vnius cuiusque Metropolitæ vti pallio in suis Prouincijs, *c.1. de auct. & vsu pallij, vbi DD. communiter*; ergo priuilegium vtendi pallio in aliena Prouincia subintelligitur de licentia Metropolitæ
8 illius Prouinciæ, & propterea *Io. Andreas in d. c. ex tuarum, nu.8. & 10. vbi etiam Panorm. n.4. & Butr. similiter n.4.* dicũt priuilegium de vtendo pallio in aliena Prouincia intelligi si is, in cuius Diœcesi vult vti, hoc concedat, solumque operari, vt Diœcesanus, vel Metropolita concedere possit huiusmodi licentiam, quam prius non poterat, & insuper addunt non posse absque huiusmodi licentia quemquam vti pallio.

9 Tertiò probatur. Priuilegiũ vtendi pallio in aliena Prouincia, vel est concessum cum limitatione ad licentiam Metropolitæ illius Prouinciæ, vel simpliciter sine dicta limitatione, si primum, licẽtia omnino obtinenda est; quia priuilegium limitatum parit limitatum effectum. *l. in agris 16. ff. de acqu. rer. domin. l. cancellauerat 2. ff. de his, quæ in testam. delen. Decius cons. 27. n.1. & cons. 551. nu.9. & DD. communiter.*

10 Si vero priuilegium fuit cõcessum simpliciter, & sine dicta limitatione adhuc subintelligitur, si is, in cuius Prouincia vult pallio vti, hoc concedat, vt supra probauimus, Prĩceps enim non præsumitur alicui præiudicium inferre velle, nisi exprimat, *l. nec Auus, C. de emancip. liber.* & illius intentio coniecturanda est ex iure. *c. postulasti, de rescriptis, Decius in c. ad aures, nu.27. in fin. de rescriptis,* ius autem in *d. c. ex tuarum, §. licet*, est, vt sine huiusmodi licentia non possit quis vti pallio in aliena Prouincia, etiam si habeat priuilegium.

11 Ad argumenta in cõtrarium allata, & primo ad primum respondeo, præsumptionem in eo appositam esse vanam, & aereã, cum nullo fulciatur fundamento: nam D. Papa non concedit huiusmodi priuilegium, vt Ordinarius illius Prouinciæ, sed vt Ordinarius ordinariorum: & ideo omnium Prouinciarum, nam si concederet vt Ordinarius illius Prouinciæ, non posset concedere huiusmodi priuilegium, *arg. c. 1. de auct. & vsu pallij.*

12 Secundò respondeo, etiam si Papa cõcederet priuilegium huiusmodi sub hac formalitate, vt Ordinarius dictæ Prouinciæ, adhuc præsumptio esset temeraria, & nullius momenti, eo quod sit contra mentem D. Papæ, qui limitat priuilegium

gium ad licentiam Metropolitæ illius Prouinciæ, vt supra ostendimus, & probauimus.

13 Ad secundum respōdeo negando minorem, cum non sit simpliciter vera, quod inferior semper se habeat merè passiuè, vt apparet in legibus, quæ, nisi à subditis recipiantur, & acceptentur, nullius sunt roboris, & obligationis; & ideo nihil probat, & præcipuè in nostro casu, in quo habemus declaratam, vel saltem præsumptam D. Papæ intentionem, & voluntatem ad fauorem nostræ sententiæ, vt supra probauimus.

14 Secunda difficultas est. An sola petitio licentiæ sufficiat, licet postea nō obtineatur: pro parte affirmatiua adducitur textus in *c. licet* 18. §. *talis, de regular.* vbi transitus ad strictio-

15 rem Religionē conceditur Religioso petita prius à suo Superiore licentia; & nihilominus illa denegata, si fiat huiusmodi transitus, est licitus, & validus; quia denegatio presumitur proterua denegantis indiscreti Superioris contradictio: sed quādo est præsumpta proterua denegatio, potest quis explicare actum, quem alias tenebatur cum alterius licentia explicare; ergo impetratio licentiæ nō est necessaria in priuilegio concesso cum limitatione ad licētiam petendam: ergo priuilegium concessum vtendi pallio in aliena Prouincia cum illius Metropolitæ licentia non necessitat; vt obtineatur; sed vt solum petatur; & ideo sufficit illius petitio, & illa non obtenta adhuc potest quis vigore dicti priuilegij vti pallio in aliena Prouincia absque Metropolitæ licentia.

16 Pars vero negatiua custodiēda omnino est, cum *Io. Andr. Archid. Hostien. Anchar. & alij DD. locis cit.* & probatur primò ex d. *c. ex tuarum*, §. *licet*, vbi conceditur Archiepiscopo Cōpostellañ priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam (dummodo is, ad quem Ecclesia pertinet, id permittat) ergo non sufficit petere licētiam, sed necesse est eam obtinere. Permittere enim importat actum concedentis. *c. 1. de ætate, & qualitate ordin. in 6. c. omnis autem, dist. 3.*

17 Secundò probatur. Priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam operatur; vt Diœcesanus possit dare licentiam priuilegiato vtendi pallio in sua Diœcesi, quod alias non posset, & palliato liceat pallio extra Prouinciā vti, vt per *Butr. in d. c. ex tuarum, n. 6. & Io. Andreā nu.* 10. *& Panor. n.* 5. *eodem loco*, ergo requirit actualem licentiam, non autem solum eius petitionem.

18 Tertiò probatur. Quando de iure requiritur licentia alicuius

cuius ad aliquem actum expli- candum, nisi ea obtineatur, vti male gestus redargui potest, *Rota in vna Bononien. dotis, seu Attētatorum coram Merlino* 24. *Nouembr*. 1631. *decis*. 73. *in fine* 2. *fel. D. P. Rubei*. & propterea pœna imposita incurritur, *cap. eos, qui cum sequen. de tempor. ordin. in* 6. ergo non sufficit eā petere, sed debet obtineri.

19 Quartò probatur. Vbi requiritur licentia, non sufficit tacita, sed requiritur expressa *cap.* 1. *cum sequen. de tempor. ordin. in* 6. ergo non sufficit petere, sed debet obtineri.

20 Quintò probatur. Ex ethymologia verbi licentia. importat idem, ac licitum, sed licitum non est, quod non est concessum, *cap. Pastoralis* 53. *de appellat*. ergo non est licitum vti pallio in aliena Prouincia petita solum, & non obtenta licentia.

21 Sextò probatur. Licentia de sui natura facit licitum, quod alias non esset licitum, *c. quod non est* 4. *de regul. iuris, c. licet de ferijs*, sed petitio licentiæ non

22 pōt facere, vt prohibitū sit licitum, nisi concedatur, *l. Gallus, ubi Alex. num.* 9. *C. de iure dotium* ergo licentiæ petitio, non est licentia, & propterea non potest facere, vt licita sit pallij delatio in aliena Prouincia, absq; illius Metropolitæ concessione.

23 Septimò probatur. Ex consuetudine Romanæ Curiæ. In altari enim Vaticano super corpora SS. Apostolorum Petri, & Pauli, nemo potest celebrare, absque Summi Pontificis licentia, quæ singulis vicibus conceditur cum Bulla sub plumbo expedita, quæ ante celebrationem affigitur ad vnam ex quatuor dicti Altaris colūnis præsentibus Eminentissimo Cardinale celebraturo, & populo.

Idemque obseruatur, quando quis est celebraturus in peruetusto altari ex ligno ad arcæ formam composito, quod in Lateranensi Ecclesia veneratur eo quod olim Princeps Apostolorum Petrus tremendum ibi conficiebat Sacramentum.

24 Idem obseruatur ab Eminentissimo Cardinali Vicario D. Papæ. In scriptis enim licentiā concedit Episcopis hic Romæ priuatam, vel publicam ordinationem habituris.

25 Idemque præstant Episcopi, vel superiores quando suis subditis concedunt, vt ab alijs ordinari possint, *d. cap.* 1. *de tempor. ordinat.* ergo quando requiritur licentia, non sufficit illius petitio.

26 Ad textum *c. licet de Regularibus*, super quo fundatur contraria opinio. Respondetur primò, esse casum specialem, & specificè concessum, & ideo non adducendum in exemplum.

Se-

27 Secundò respondetur, *in d. c. agi* de animę salute, quæ est multum fauorabilis, & ideo am pliandam; in nostro autem casu agi de priuilegio ambitioso, & præiudiciali, vt supra probauimus, & ideo restringendum.

28 Tertia difficultas est. An huiusmodi licentia possit petenti denegari. Videtur non posse, quia, si posset denegari, semper esset in potestate inferioris vacua, & vana reddere superioris priuilegia, quod non est dicen-
29 dum; cum non possit inferior tollere generalem, vel particularem legem, idest priuilegiũ superioris, *c. cum inferior, de maior. & obed. Clem. ne Romani, de elect. l. formam, C. de officio Præfecti Præt. Bart in l. omnes po puli, ver. sed hic dubitatur, ff. de iust. & iure, Surd. cons. 58. nu. 6.* ergo non potest denegari.

30 Probatur secundo, Iusta petenti est assentiendum, *l. 2. ff. de his qui sunt sui, &c. l. & Attilicinus, ff. de seruit. Rust c. præd.* sed qui petit deferre pallium in aliena Prouincia vigore sui priuilegij, iusta petit; ergo illi est assentiendum, ergo illi non est deneganda licentia.

31 Probatur tertio. Licentia idem importat, ac arbitrium
32 boni viri: *Bart in l. alio, num. 8. ff. de Alimen. legat.* sed arbitrium boni viri regulatur à iure. *Rota decis. 326. nu. 6. & Decis. 698. nu. 1. apud Farin parte 2. recent.* ergo licentia regulatur à iure; ergo multò magis regulatur à voluntate Principis, quæ esse conformis pręsumitur iuri: immò est supra legem; sed voluntas Principis est, vt sua priuilegia effectum habeant, & non impediantur ab inferioribus, ergo inferior non potest negare huiusmodi licentiam, impediendo effectum priuilegij.

33 Contrarium alij sentiunt, videlicet posse denegari huiusmodi licentiam, & probatur primò *ex cap. fin. § fin. de maior. & obed.* vbi D. Papa mandat publicari in Prouincia Burdigalen. super iure primatiæ prouisionem factam requisito prius consensu Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ, necnon Cathedraliũ Ecclesiarum Prouinciæ prædictę, & si consensum præstare noluerint, decernit supersedendum publicationi prædictæ; ergo quando mandat aliquid fieri de licentia, & consensu alicuius, non necessitat ad præstandum consensum, & licentiam, ergo potest denegari.

34 Probatur secundò. Si Metropolita requisitus tenetur licentiam petenti concedere, graue præiudicium reportaret ex alieno priuilegio; quia obligaretur ad actum contra propriũ priuilegium; cum illi solum in propria Prouincia competat delatio pallij, & signum superio-

rioritatis, sed priuilegiũ vnius non debet alteri inferre præiudicium. *l. 1. §. si quis à Principe, ff ne quis in loco publico, Anchar. in d. cap. ex tuarum, & DD. communiter*; ergo Metropolita non tenetur licentiam huiusmodi concedere, sed potest denegare.

35 Confirmatur maior. Delatio pallij in aliena Prouincia infert præiudicium Metropolitæ illius Prouinciæ, *glos. in d. c. ex tuarum, in verb. permittat*, quia est signum prælationis, & superioritatis, vt supra probauimus; ergo si Metropolita cogeretur ad huiusmodi licentiã cõcedendam, cogeretur ad actũ sibi præiudicialem admittendum.

36 Probatur tertio, Licentiæ huiusmodi cõcessio ponitur in priuilegio, vt conditio, cum illius dispositio cõcipiatur per dictionem, dummodo, quæ importat conditionem, *l. Titius 41. §. Stichus, ff. de fideicommiss. libert. Soccin. Iun. cons. 148. in fine, volum. 1.* sed conditio inclu-
37 dit incertum futurum euentũ, cum conditio sit actus, vel cõtractus suspensio, ex euentu incerto futuro rei apposito, *l. itaque 39 ff. si certum petatur, glos. in rub. ff. de condit. & demonstr.* ergo licentiæ concessio ponitur in priuilegio, vt incerta; sed si Metropolita esset obligatus licentiam concedere, licen-
38 tiæ concessio, non esset incerta, sed certa; cum obligatio constituat certam rei assecutionem, *l. 1. & l. obligationum 3. in principio, ff. de action. & obligat.* ergo Metropolita non est obligatus licentiam concedere, sed potest illam denegare.

39 Probatur quartò, ex communi DD. consensu. Priuilegium huiusmodi operatur, vt Metropolita possit dare eam licentiam, quam alias non posset, sed verbum, possit, importat facultatem, & liberam voluntatem, non autem necessitatem *l. sæpe, 8. cum ibi notatis, ff. de officio Præsidis, l. 1. C. quomodo, & quando Iudex, glos. in cap. statutum, verb. possit de rescript. Surd. de Aliment. tit. 5. q. 4. nũ. 14. cum sequen.* ergo huiusmodi priuilegium non importat necessitatem Metropolitæ dandi prædictam licentiam; ergo Metropolita nõ tenetur dare, sed potest denegare.

40 Ad Argumenta in contrariũ allata, respondetur, & primo ad primum negando sequelam, videlicet, si posset huiusmodi licentia denegari, absurdum inde sequi, quod semper esset in manu inferioris reddere vana, & vacua Superioris priuilegia: nam absurdum non est, quod tunc possint vana, & vacua reddi, quando superior hoc implicitè velit; & propterea remittat priuilegij effectum

ad

ad arbitrium inferioris; atque ita potius est priuilegium inferioris, quam alterius, cum cōcedatur illi facultas licentiam praestandi, quam alias non posset praestare, vt supra diximus.

41 Secundò respondetur. Quādo inferior se opponit priuilegio à superiore emanato, hoc facit non propria, sed eiusdem superioris auctoritate: si enim superior voluisset simpliciter priuilegij effectum, non remisisset ad inferioris arbitrium, quod includit tam partem negatiuam, quàm affirmatiuam. *c si Religiosus* 28. *in principio, de elect. in* 6. prout est in nostro casu.

42 Ad secundum respondetur, vsum pallij in aliena Prouincia non esse rem simpliciter iustā, cum sit positio manus in messem alienam, & sic contra ius, & communem consuetudinem totius Ecclesiae, vt supra probauimus; & ideo illius vsus potest denegari: est autem iustus secundum quid, videlicet quatenus hoc quis habeat in priuilegio, & ideo iuxta formam illius est iustus, & non aliter; sed secundum illius formam exigit licentiam, relinquendo arbitrium, & non cogendo; ergo potest concedi, & denegari huiusmodi licentia; ergo pallij vsus non est iustus, nisi posita Metropolitae licentia; ergo, si denegatur licentia, denegatur de re, quae adhuc non est iusta.

43 Ad tertium respondetur, cōcedendo licentiam importare arbitrium boni viri, & arbitriū boni viri regulari à iure, & à voluntate Principis; sed negatur voluntatem Principis esse, vt absolutè cōcedatur licentia: nam absoluta voluntas non admittit arbitrium, & conditionē, prout est in casu nostro.

44 Quamuis secunda opinio de rigore iuris sit probabilior; attamen primam opinionem existimo magis de aequitate seruā-
45 dam: nam si Princeps supremus, qui solet pro ratione habere suam voluntatem, *l. quia poterat ff. ad Trebell. glos. in l. filio pater, in fin. ff. de legat.* 1. sē-
46 per aequitatem praeferre solet rigori iuris, *l. placuit, C. de iudicijs, Surd. cons.* 317. *n.* 28. multo magis non supremus, & praecipuè Ecclesiasticus, qui repraesentat Ecclesiam. *c. scire debes 7. quaest.* 1. haec autem quicquid facit benignitas, & miseri-
47 cordiae est, vt dicit *glos. in c. exbibita* 12. *in ver. misericorditer, de homicidio*; multumque conferat, aequitati, vt quisque concurrat cum Principis voluntate, & concedat huiusmodi licentiam (nisi tamen recta ratio suadeat contrarium) alias Princeps manus rei apponendo, licentiae denegatae necessitatem de medio tollet cū damno, & rubore denegantis dicto

c fin.

c. fin. §. fin. de maiorit. & obedien.

Quarta difficultas eſt, an ſufficiat, vt huiuſmodi licentiam cōcedat loci Ordinarius, in quo quis vult vti pallio, non autem illius Metropolita.

48 Io. Andr. *in c. ex tuarum, n. 8. & nu. 10. & ibi Butrius n. 6. & Anchar. n. 1.* non improbabile exiſtimant poſſe hanc licentiā dari ab Epiſcopo Diœceſano.

Probari poſſe videtur iſtorū opinio primò ex *c. Epiſcopi 7. quæſt. 1.* vbi ſtatuitur, quod quādo Epiſcopus ad alterius Epiſcopi Eccleſiam accedit, in gradu ſuo ſuſcipiatur; & tam ad verbum faciendum, quàm ad oblationem conſecrandam inuitetur ab illius loci Epiſcopo: ergo quando Archiepiſcopus accedit ad alicuius Epiſcopi Eccleſiam, poteſt ab illo Epiſcopo ſuſcipi in ſuo gradu Archiepiſcopali, & inuitari ad oblationem conſecrandam cum vſu pallij, per quod ſolum ſuſcipitur, vt Archiepiſcopus.

49 Probatur ſecundò. Quilibet Epiſcopus poteſt quēlibet Archiepiſcopum inuitare, eique concedere, vt in ſua Diœceſi ordinet ſuos, vel eiuſdem Epiſcopi clericos. *c. nullus primas 9. quæſt. 2.* ergo etiam concedere licētiam vtendi pallio, ſi Archiepiſcopus habeat priuilegiū vtendi pallio extra Prouinciā, cum Archiepiſcopi, vt Archiepiſcopi ordinationes teneant cum vſu pallij. *gloſ. in c. ad honorem, de auct. & vſu pallij.*

50 Probatur tertiò. Cui conceduntur ſequentia, videntur cōcedi antecedentia, *l. ad rem mobilem, & l. ad legatum, ff. de procurat.* ſed Epiſcopo conceditur inuitare Archiepiſcopū ad Pōtificalia exercenda in ſua Diœceſi, quæ ſubſequuntur receptionem pallij in Archiepiſcopo; ergo videtur ei etiam conceſſum inuitare ad vſum pallij; cum vſus pallij in Archiepiſcopo antecedat vſum Pontificalium. *c. niſi, de auct. & vſu pallij,* ergo poteſt illi concedere licētiam iſtius vſus.

51 Præmiſſis tamen non obſtātibus, licentia vtendi pallio in aliena Prouincia vigore priuilegij concedenda omnino eſt ab Archiepiſcopo illius Prouinciæ. *Panor. in c. cum ſis n. 3. de auct. & vſu pallij, Io. Andr. in c. ex tuarum, n. 10. eodem tit. & ibi Butrius n. 6. Anchar. n. 1. Archid. in c. palliū, n. 2. diſt. 100. & alij communiter.*

52 Probatur primò. Conceſſio licentiæ denotat ſuperioritatē concedentis in eo, in quo conceditur licentia, *c. licet, de regul. c. ex parte 10. de tempor. ordin.* ergo conceſſio licentiæ vtendi pallio in aliena Prouincia vigore priuilegij non poteſt concedi ab eo, qui nō habet ſuperioritatem in vſu pallij, ergo non

ab alio concedi potest, quàm à Metropolita, qui solum habet in sua Prouincia superioritatem in vsu pallij dictis *c. cum sis, & c. ex tuarum*.

53 Probatur secundò. Licentia in priuilegio vtendi pallio in aliena Prouincia, ideo requiritur, vt minus inficiatur ius illius, cui per priuilegium videtur præiudicium inferri, d. *c. ex tuarum*, sed priuilegium vtendi pallio in aliena Prouincia inficit ius Metropolitæ, cui solũ competit vsus pallij in sua Prouincia; ergo in dicto priuilegio solum requiritur licentia Metropolitæ, & non alterius.

54 Probatur tertiò. Princeps quando in suarum gratiarum concessione mãdat alicuius tertij sub incerto nomine vocationem, vel assensum exposcẽdum, non intendit, nisi illum, cui de iure in re concessa competere aliquod ius potest. *c. exhibita, vbi gloss. in ver. euocandi, & ibi Panor. n. 6. & DD. communiter de iudicijs, c. si Archiepiscopus, de tempor. ordin. Seraphin. decis. 338. n. 3.* ergo quando priuilegiũ concessum vtendi pallio in aliena Prouincia requirit licentiã Ordinarij loci, in cuius Prouincia vult priuilegiatus vti pallio, intenditur de eo tantum ordinario, qui est ordinarius in vsu pallij, sed in vsu pallij est ordinarius solum Archiepiscopus, vt supra probauimus, ergo solum illius licentiã requirit, ergo solum ab Archiepiscopo concedenda.

55 Ad argumenta in contrariũ allata respondetur, & primo ad *c. Episcopi*. Episcopum posse in sua Diœcesi recipere Archiepiscopum, vt Archiepiscopum in ijs rebus, in quibus illi est permissum, non autem in vsu pallij cum hoc non sit ei permissum ob rationes superius allatas.

56 Secundo respondetur textũ loqui de receptione Episcopi, non autem Archiepiscopi, & ideo non extendendum ad Archiepiscopum cum præiudicio Metropolitæ.

57 Tertiò respondetur ètiam si textus extendatur ad Archiepiscopum adhuc non intelligẽdus de vsu pallij; cum Archiepiscopus celebrare Missam, & verbum facere teneatur ad populum sine pallio etiam in sua Prouincia, vt bene inter alios aduertit *Maiolus de irreg. & impedim. canon. lib. 2. c. 2. n. 9.* nisi hoc expressè habeat in priuilegio, vel prædicatio fiat intra Missæ celebrationem, quia tunc propter indiuisibilitatem prædicationis, & Missæ censetur idẽ actus, & pluries soleat Archiepiscopus celebrare sine pallio.

58 Eodem modo respondetur ad *c. nullus Primas*.

Ad *l. ad rem mobilem, & ad l. Legatum*, Respondetur eas habere

bere locum in ijs, quæ necessariam inter se habent connexionem; non autem in casu, in quo vnum ab altero separatim existere potest; cum Archiepiscopus possit, & debeat Pontificalia exercere sine pallio d. *c. ex tuarum, & c. fin. de auct. & vsu pallij. c. ad supplicationem, de renunciat.*

Quinta, & vltima difficultas est, an Archiepiscopus volens vigore sui priuilegij vti pallio in loco exempto extra suam Prouinciam, cuius Episcopus habeat vsum pallij, teneatur petere licentiam à dicto Episcopo vel à Metropolita potius illius Prouinciæ, aut ab vtroque.

59 Antonius Butrius *in d. c. ex tuarum, n. 6. vbi Io. Andr. n. 10. & Innocen. n. 2.* dicunt huiusmodi licentiam petendam, & cōcedendam ab Episcopo palliato exempto, eo quod locus sit extra iurisdictionem Metropolitæ, cum sit exemptus.

Probatur primò. Concessio licentiæ denotat superioritatē concedentis in eo, in quo conceditur, *c. quod translationem, de tempor. ordin.* vt supra probauimus; sed Metropolita nullam habet iurisdictionem in loco exempto, vt per se patet; ergo non potest huiusmodi licentiam concedere: ergo petenda est ab eo, qui est superior; ergo ab Episcopo palliato loci exempti concedenda.

60 Probatur secundò. Exemptio tollit omnimodam potestatem & iurisdictionem super re exempta ab eo, à quo illa eximitur, adeo vt ne minimum quid eius intelligatur non exēptum. *c. frater noster 16. q. 2. vbi glos. in ver. aliquid,* ergo cū Episcopatus sit exemptus, (vt præsupponitur) à iurisdictione Metropolitæ, Metropolita nec minimum quid iurisdictionis, & superioritatis exercere in eo poterit; ergo neque huiusmodi licentiam concedere, quæ denotat superioritatem, & iurisdictionem; ergo illa concedenda ab Episcopo exempto palliato.

61 Probatur tertiò. Exemptorum iura neglecta, deuoluuntur ad Sedem Apostolicam immediatè, & non ad Metropolitam. *c. licet, de supplenda neglig. Prælat.* ergo multo magis iura non neglecta, ergo solum Episcopus palliatus exemptus potest concedere huiusmodi licentiam, non autem Metropolita.

62 Probatur quartò. Metropolitæ non possunt extendere manus ad ea, quæ D. Papa sibi particulari priuilegio reseruauit. *c. quod translationem 4. de officio Legati,* sed D. Papa particulari priuilegio exemptionis sibi reseruauit Episcopatum exemptum, ergo Metropolita non potest manus ad eum extendere concedendo huiusmodi licentiam; ergo solummodo

Epiſcopus exemptus poteſt illam concedere.

63 Probatur quinto, Exemptio excludit, & eximit à iuriſdictione, & obedientia illius, à quo quis eximitur, *c.cum perſonæ*, §.*fin.& c.ſi Papa,de priuileg. in 6.*ergo Epiſcopus exemptus eſt liber à iuriſdictione, & obedientia Metropolitæ; ergo non tenetur obedire licentiæ huiuſmodi ab illo conceſſæ, ergo fruſtratoria eſſet, & per conſequens debet concedi ab Epiſcopo exempto, non autem à Metropolita.

64 Contraria ſentẽtia eſt, quod huiuſmodi licentia debeat cõcedi à Metropolita, etiam in loco exempto, quam tenent *Io Andr.loc. cit. num.* 10. *& ibi Anchar.num.* 1.

65 Probatur primo, Metropolita in locis exemptis ſuæ Prouinciç habet vsũ pallij, *per Clem. Archiepiſcopo,de priuil.* ergo ſuperioritatẽ, ſaltẽ quoad vsũ pallij, quod denotat ſuperioritatẽ, vt ſupra probauimus; ergo quo ad vſum pallij vigore priuilegij debet ab eo peti licentia, nõ autem ab Epiſcopo exempto.

66 Probatur ſecundo, Exemptio non facit, vt locus exemptus non ſit, & adhuc non remaneat in Prouincia, vel Diœceſi illius, à quo eximitur, *Panor.in c.Apoſtolicæ,nu.3.de donat. Felin. in c.Grauæ,n.5.de officio Iudicis Ordinarij, Riccius in Praxi var. reſol.reſol.*43.*n.*1.ſed Metropolita habet in tota ſua Prouincia iuriſdictionem, quoad vſum pallij, *cap.* 1. *de auct. & vſu pallij*; ergo etiam in loco exempto; ergo ab illo, non autem ab Epiſcopo exempto debet concedi huiuſmodi licentia.

67 Probatur tertio, Vſus pallij magis principaliter, & per ſe cõpetit Archiepiſcopo, quàm Epiſcopo; cum Archiepiſcopus non poſſit nominari Archiepiſcopus ante receptionẽ pallij *cap.niſi,de auct. & vſu pallij*, quod non eſt in Epiſcopo; ergo magis præiudicatur per extraneum vſum pallij Archiepiſcopo, quam Epiſcopo exẽpto, cui ſolum per accidens, & per inſolitum, & ſpeciale pri-
68 uilegium competit vſus pallij; ſed cui maius præiudicium infertur, illius magis præſumitur requiri aſſenſus, & licentia in conceſſione priuilegij de mente concedentis, cum priuilegia in dubio non intelligãtur conceſſa in præiudicium illius, *l.*2.§. *merito, & §.ſi quid à Principe,ff.ne quid in loco publico, Decius in cap.in præſentia, num.* 251. *de probat.* ergo huiuſmodi licentia magis concedi debet à Metropolita, quam ab Epiſcopo exempto.

69 Probatur quarto. Priuilegium exẽptionis eſt odioſum, cum vni concedatur, quod ab alio aufertur, *l.*4.*ff.ne quis eum,*

qui

qui in ius vocatur vi eximat, l. is cum quo, ff. de peculio, ergo restringendum, *l. cum quidam, ff. de liber. & posthum. hæred. instit. c. odia, de regul. iur. in 6. Panor. in c. licet, num. 2. de decimis, Roman. conf. 180. in fin.* ergo non debet extendi ad ea, quæ non sunt in priuilegio expressa: ergo sicut per priuilegium exemptionis non est sublatus vsus pallij in loco exempto, *d. Clem. Archiepiscopo*, ita neque etiam concessio licentiæ vtendi pallio in dicto loco; ergo à Metropolita, & non ab Episcopo exempto debet concedi.

70 Probatur quintò, Priuilegia debent intelligi, & obseruari, prout verba sonant in rebus, in quibus loquuntur, *cap. porro, de priuileg. Panor. in cap. cum ordinem, de rescript. num. 2.* ergo si in priuilegio exemptionis non exprimitur, quod Episcopus exemptus possit independenter à Metropolita, concedere licentiam vtendi pallio in loco exempto, non potest eam concedere; cum Metropolita solũ habeat superioritatem quoad vsum pallij in tota sua Prouincia.

71 Tertia sententia est, quod huiusmodi licentia debeat concedi ab vtroque, quàm sententiã sequuntur *Panor. in cap. ex tuarum, num. 2. de auct. & vsu pallij, & alij*.

72 Probatur primo, Quod plures tangit, ab his pluribus debet approbari, *cap. quod omnes 29. de regul. iur. in 6. l. fin. §. sed hæc omnia, C. de auct. præstanda*; sed vsus pallij in loco exempto spectat ad Metropolitam, per *d. Clem. Archiepiscopo*, & ad Episcopum exemptum palliatum; ergo ab vtroque approbari, & concedi licentia debet.

73 Probatur secundo. Quando per aliquem actum plures læduntur, hi omnes vocari debent, *l. Nam ita Diuus 39. & l. cum Nepos 6. ff. Adopt.* sed hic per vsum pallij in loco exempto læduntur, & Metropolita, & Episcopus exemptus palliatus, quibus directè in sua Prouincia, & Diœcesi competit vsus pallij; ergo vterq; vocari, & ab vtroque licentia concedi debent.

74 Probatur tertio. Quando obtinetur aliquod Principis rescriptum, per quod tertius lædatur, debent in illius exequutione interuenire, qui per illud læduntur, *l. nec filio 4. ff. de Natalibus restit. l. in causæ cognitione, §. causa autem, ff. de minoribus, glos. in d. l. nam Diuus*, sed per priuilegium vtendi pallio in aliena Prouincia, & in loco exempto, non solum læditur auctoritas Episcopi exempti, verum etiam Metropolitæ, vt supra probauimus, ergo debẽt in illius exequutione vterque interuenire, ergo ab vtroque

licentia concedenda.

75 Probatur quartò, Princeps in dubio non præsumitur præiudicium inferre voluisse, *l. nec Auus, C. de emancipat. liber.* sed in huiusmodi priuilegio est dubium de cuius licentia intelligendum sit, ergo nemini præsumitur Principem præiudiciũ inferre voluisse; ergo præsumitur intentionem ipsius esse, vt ab vtroque concedatur licentia.

76 Positis his multiplicibus DD. sententijs, quæ licet videantur in se probabiles, attamen censeo primæ sententiæ

77 adhærendum; nam Metropolitæ in loco exempto merus pal

78 lij vsus conceditur ex priuilegio, quod de sui natura, nihil aliud, præter expressum concedit, *d. cap. porro, de priuileg.* & propterea priuilegium in tantum est priuilegium, in quantum aliquid specialiter concedit, *cap. Abbate, §. contra quod, de verbor. signif. c. in his prope finem, de priuileg. c. fin. §. quamquam 25. q. 1. l. vnica in fine, C. de Thesauris, lib. 10. l. 1. ff. ad Municip.* ergo non extenditur ad non expressum; ergo non extenditur ad huiusmodi licentiam concedendam; cum in priuilegio solum exprimatur vsus pallij in loco exempto.

79 Neque ex eo, quod quis habeat ex priuilegio vsum pallij in aliena Prouincia, argui potest superioritas in illa Prouincia; nam vsus pallij denotat superioritatem in propria Prouincia tantum, vt supra probauimus: alias enim sequerētur, vt bene aduertit *Hostien. in summ. §. fin. de auct. & vsu pallij*, vt duo Metropolitæ, vel duo superiores essent eiusdem Prouinciæ, quod absurdum est, & nullo modo admittendum, *cap. vnico, dist. 101. c. quoniam 14. de officio Ordinarij*, ita etiam ex eo, quod Metropolita habet priuilegiũ vsus pallij in loco exempto, nō propterea debet inde argui, quod habeat in illo superioritatem; cum in vtroque casu maneat eadem libertatis ratio, & per consequens eadem iuris dispositio.

80 Ad argumenta tertiæ sentētiæ. Respondeo primo, ad primum concedendo ab omnibus esse approbandum, quod plures tangit, in nostro autem casu, solum tangitur iurisdictio Episcopi exempti palliati, quia ad illum solum directè spectant & iurisdictio, & vsus pallij. Ad Metropolitam vero solum ex priuilegio nudus vsus pallij in loco exempto, vt supra probauimus, & propterea ab eo nec petenda, nec concedenda huiusmodi licentia.

81 Ad secundum, Respondeo non lædi Metropolitæ priuilegium per illius communicationem alteri ab eodem Summo Pon-

Pontifice factam, cum illæsum, & in suo robore adhuc remaneat, & ideo argumenti vis nulla.

82 Ad tertium, eodem modo respondetur. In prædictis enim iuribus statuitur vocandos esse omnes, qui de iure sunt euocandi, idest, vt *glos. ibi in ver. euocandi*, declarat, quos res tangit; sed huiusmodi communicatio priuilegij nō tangit iurisdictionē Metropolitæ, cū locus sit ab eius iurisdictione omnino exemptus (vt præsupponitur) neque tangit priuilegiū vsus pallij; quia illud adhuc remanet in suo robore, & in nullo inficitur; ergo nullo modo Metropolita euocandus in huiusmodi licentia concedenda.

Ad quartum respōdeo. Nullum præiudicium inferri Metropolitæ priuilegio ex illius communicatione per Summū Pontificem alteri facta, vt supra probauimus, ergo non est dubio locus.

83 Respondetur secundo. Si requireretur Metropolitæ licentia, inficeretur exēptionis ius, quia subijceretur iurisdictioni Metropolitæ contra exemptionis priuilegium; licentia enim præsupponit iurisdictionem concedentis in eo, in quo cōceditur, *cap. quod translationem 11. de tempor. ordin.* & cum in priuilegio non exprimatur persona, à quo petenda sit licentia, & propterea dubitetur, an de Metropolita, vel Episcopo exēpto intelligatur, præsumptio est ad fauorem priuilegij exēptionis; quia in dubio non debet præsumi Pontificem voluisse inferre præiudicium Episcopo exempto.

84 Ad argumenta secundæ sententiæ respondeo, & primo ad primum negando consequens, quia nudus pallij vsus non denotat semper superioritatem in loco, quo quis eo vtitur, prout est, cum quis in aliena Prouincia ex priuilegio Pontificalia cum pallio exercet.

85 Ad secundum respondeo. Argumentum nihil probare, quia non sufficit, vt locus exēptus sit in Prouincia, vel Diœcesi, vt in eo Metropolita, vel Episcopus habere superioritatem dicatur; nisi sit de ea Prouincia, vel Diœcesi; cum esse in Diœcesi, & Prouincia solum sit, quid denominatiuum extrinsecum, & importet materiales confines illius loci tantum; non autem comprehendat illum ad Diœcesim, & Prouinciam spectare, & ideo non bene infertur, est in Prouincia, vel Diœcesi, ergo spectat ad Metropolitam, vel Diœcesanum.

86 Ad tertium respondeo. Vsum pallij simpliciter, & generaliter sumptum principaliter cōpetere Metropolitæ, non autē se-

secundum quid, idest respectu loci exempti à sua iurisdictione, vbi primo, & principaliter competit vsus pallij Episcopo Ordinario exempto, in quo residet ordinaria iurisdictio; *cap. cum Episcopus, de officio Ordinarij in 6.* non autem in Metropolitis, qui si non possunt suorum suffraganeorum Dioeceses ingredi, & ibi propria auctoritate iudicare, & contentiosam exercere iurisdictionem, *cap. 1. in principio, de officio Ordinarij in 6. & c. Nullus primas 9. q. 2.* ergo multo minus in loco exempto.

87 Ad quartum respondeo cōcedendo priuilegium exemptionis esse odiosum, & ideo restringendum; non tamen hinc sequitur, quod huiusmodi licētia sit danda à Metropolita: immo contrarium inde necessariò colligitur; quia eximendo Episcopum cum sua Ciuitate, & Dioecesi à iurisdictione Metropolitæ restringit priuilegium ad nudum, & simplicem honorarium vsum pallij; ergo nullus relinquitur in illo iurisdictionis effectus; cessante enim causa, necesse est, vt cesset effectus, qui pendet à dicta causa, *c. cū cessante 60. de appell. authen. generaliter, C. de Episcopis, & Cleric. l. adigere, 6. §. quamuis, ff. de Iurepatron.*

88 Ad quintum Respondeo Priuilegia debere intelligi, & obseruari prout verba sonant; & cum priuilegium Metropolitæ solum loquatur de simplici, & personali vsu sui pallij in loco exempto, non debet extendi ad huiusmodi licentiam alteri concedendam; immo cum per allegatum priuilegium specificè concedatur personalis vsus pallij in loco exempto; inde necessariò sequitur quoad omnia alia locum esse exemptum, & liberum à iurisdictione Metropolitæ: cum casus exceptus firmet regulam exemptionis in contrarium, *l. nam quod liquide, §. fin. ff. de pen. Legat. l. quæsitum, §. idem respondit, vbi glos. in verb. non potest, ff. de fundo instruct. c. 2. de coniugio leprorum, Surd. cōs. 303. num. 11. Menoch. de Arbitr. lib. 1. q. 30. nu. 4. & DD. communiter;* & propterea neque huiusmodi Metropolitæ licentiæ subiaceat.

Atque ita concludendum, licentiam vtendi pallio in alieno loco exempto vigore priuilegij, peti, & concedi debere ab Episcopo palliato exempto; non autem à Metropolita, in cuius Prouincia locus exemptus existit.

89 Nota quod licet extraneus Archiepiscopus teneatur huiusmodi licentiam petere, non tamen Archiepiscopus illius Prouinciæ, in qua locus exemptus existit, debet eam petere: quia ille locus quoad vsum pallij proprij Metropolitæ adhuc re-

remanet sub dominio, & iurisdictione illius, vt supra probauimus, vel, vt melius dicam, remanet exemptio cum dicta seruitute.

CAPVT XXV.

An priuilegium concessum Archiepiscopo vtendi pallio extra Prouinciam transeat ad successores.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium personale non transit ad successores.*

2 *Priuilegiũ vsus pallij extra Prouinciam non videtur transire ad successores.*

3 *Priuilegia intelliguntur secundũ naturam rei, in quam cadũt ibidem.*

Strictè intelligenda, ne communis obseruantia euertatur.

4 *Vsus pallij extra Prouinciam euertit ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ.*

5 *Inordinatus appetitus honoris extirpandus.*

6 *Priuilegium ambitiosum restringendum.*

7 *Exorbitans strictè interpretandum.*

8 *Consuetudo, & stylus Curiæ habent vim legis.*

9 *Priuilegium vsus pallij transit ad successores.*

10 *Priuilegium concessum causæ, transit ad successores.*

11 *Concessum dignitati, sequitur dignitatem, & num. 18.*

12 *Dignitas non moritur ad mortẽ eius, qui eam obtinet.*

13 *Priuilegiã concessa Ecclesiæ, vel dignitati semper intelliguntur exclusa in reuocationibus generalibus.*

14 *Sunt conseruanda.*

15 *Successor in dignitate, succedit in onere, & honore.*

16 *Præsumitur eadem persona cum Prædecessore.*

17 *Priuilegium personale cessat cũ persona.*

18 *Priuilegium vsus pallij extra Prouinciam concessum dignitati Archiepiscopali transit ad successores.*

19 *Priuilegium intelligitur secundũ naturam materiæ, in quam cadit, non autem in omnibus.*

20 *Non destruit rem, in quam cadit.*

21 *Pallium in genere competit dignitati, in specie personæ.*

22 *Argumenta opposita diluuntur, cum*

cum sequentibus.

23 *Vsus iurisdictionis, non autem pallij peruertit Hierarchiam Ecclesiasticam.*

24 *Priuilegium vsus pallij in aliena Prouincia, non nutrit inordinatum appetitũ honoris.*

25 *In dubio recurritur ad consuetud nem, & stylum Curiæ.*

26 *Nomina propria in dispositionibus inducunt personalitatem.*

27 *Appellatiua vero, dispositionem generalem, & realem.*

28 *Circumlocutio, & nomina propria æquipollent.*

29 *In dispositionibus verba attendenda.*

30 *Dispositio facta intuitu meritorum est personalis.*

31 *Maritus non potest carcerari pro restitutione dotis.*

32 *Priuilegium est personale, quando nomen proprium præcedit, & subsequitur appellatiuum.*

33 *Priuilegium est reale, siue præcedat nomen appellatiuum, siue subsequatur.*

34 *Quando exprimitur nomen proprium familiaris, est personale.*

35 *Cõsuetudo Curiæ exprimit, quãdo priuilegium transferendũ ad successores.*

36 *Landulpho Archiepiscopo Beneuentano, & Cardinali Palleotto Archiepiscopo Bononien. cõceditur pallium.*

37 *Causa priuilegij cõsideranda pro eius duratione.*

38 *In priuilegijs consideranda materia, an sit odiosa, vel fauorabilis.*

39 *Causa concessionis, an priuata, vel publica.*

40 *Remunerata dignitas ex publicis meritis.*

Tenor priuilegij maximè perpendendus.

1 CVm duplici ex titulo priuilegia concedi soleant, vel ratione personæ, vel ratione rei, & dignitatis; & quæ cõceduntur ratione personæ, sequantur personã, & illius morte extinguantur: ac propterea non transeant ad successores. *c. priuilegium 7. de regul. iur. in 6. vbi glos. & DD.* ideo hoc loco solum videndum erit, an priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam cõcessum Archiepiscopo, vt Archiepiscopo, trãseat ad successores in Archiepiscopatu.

2 Pro parte negatiua ratio videtur esse, quia priuilegia debent intelligi secundum naturam materiæ, in quam cadunt. *l. in contractibus, C. de non numerata pecunia, l. si vno, ff. locati*, ergo priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam debet intelligi secundum naturam pallij; sed pallium de sui natura non potest transire ad successores, vt supra probauimus, sed de nouo petendum est; ergo neque priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam potest tran-

sire

sire ad successores.

3 Secundò probatur. Priuilegium cum sit contra ius commune, debet strictè interpretari, ne tota iuris communis obseruantia tot vigilijs exagitata, & inuenta videatur euerti. *l. si quando* 35. *C. de inoff. testam.* sed priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam est contra ius commune. *c. cum sis, de auct. & vsu pallij*, ergo strictè debet interpretari; ergo non est interpretandum, quod transeat ad successores; ne alias sequatur euersio totius iuris pallij Pontificij, quod singulis eius vsum intra limitatos fines constringit.

4 Tertiò probatur. Priuilegiũ vtendi pallio extra Prouinciam peruertit ordinem totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, cum ad ordinẽ Hierarchicum spectet, vt vnusquisque in sua sede, & loco maneat, & non misceat se in alienis. *c. placuit*, *c. in apibus* 7. *quæst.* 1. *c. Ecclesijs* 13. *quæst.* 1. sed quod peruertit ordinẽ Ecclesiasticæ Hierarchiæ quantocius remouendum est. *c. eum qui* 7. *quæst.* 1. ergo priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam quantocius remouendum; ergo non debet transire ad successores.

Quod autem huiusmodi priuilegium peruertat ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, patet, quia concedit insignia gestare iurisdictionalia in aliena Prouincia; ergo peruertit ordinẽ Ecclesiasticæ Hierarchiæ.

Quartò probatur. Priuilegiũ vtendi pallio in aliena Prouincia nutrit inordinatum appetitum honoris, cum sua non cõtineatur in Prouincia, & extra ordinem in aliena Prouincia cum pallij gestatione illũ quærat. *c. si quis Episcopus*, *& cap. Episcopus* 7. *quæst.* 1. sed quæ

5 nutriunt inordinatum appetitum honoris sunt extirpanda, & non transmittenda ad successores. *c. si quis de ordine*, *& c. Episcopũ* 7. *quæst.* 1. ergo priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam non transit ad successores.

6 Quintò probatur. Priuilegium ambitiosum est restringẽdum. *l.* 1. *C. de Senat. Consult. c. principatus* 1. *quæst.* 1. *Innoc. in c. fin. n.* 4. *de translat. Prælat.* sed priuilegium vtendi pallio in aliena Prouincia est ambitiosũ, quia ostentare quærit superioritatem in aliena Prouincia, ergo restringendum, & non extendendum ad successores.

7 Sextò probatur. Priuilegiũ exorbitans debet strictè interpretari, & non extendi. *c. licet*, *§. fin. de translat. Prælat. Decius in c. Ecclesia Sãctæ Mariæ, n.* 38. *de Constit.* sed priuilegium vtẽdi pallio in aliena Prouincia est exorbitans. *c. ex tuarum*, *§. licet*, *de auct. & vsu pallij*, ergo debet

debet strictè interpretari, & nō extendi ad successores.

8 Septimò probatur, ex consuetudine, & stylo Romanæ Curiæ, quando huiusmodi priuilegia conceduntur ad fauorem etiam successorum in officio, vel dignitate, exprefsè in litteris fit mentio, quod etiam suffragetur successoribus, prout videri potest in Bullis erectionis Archiepiscopatuum Ecclesiarum Bononieñ, Beneuentañ, & similium; ergo quando hoc non exprimitur, non censetur concessum ad fauorem successorum; consuetudo, & stylus Curiæ habent vim legis. *l. de quibus 32. ff. de legibus, c. licet, de crimine falsi.*

9 Pro parte affirmatiua, quod priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam transeat ad successores adducitur textus in *l. Priuilegia 157. vbi Dec. n. 14. ff. de regul iur.* in quo textu sta-

10 tuitur. Priuilegia, quæ conceduntur causæ, transmitti ad hæredes; huiusmodi autem priuilegium cōceditur dignitati Archiepiscopali, quæ est causa vsus pallij; ergo transmittitur ad successores.

11 Secundò. Priuilegia concessa dignitati, sequuntur ipsam dignitatem, & competunt omnibus eam dignitatem habentibus. *c. cum venissent, de instit. l. omnis à Clericis 2. §. Presbyteros, C. de Episcopis, & Clericis*, vbi priuilegia clericali dignitati concessa omnibus Clericis competunt. *c. antiqua 23. de priuileg.* vbi etiam priuilegia sedibus Patriarchalibus concessa competunt omnibus in dictis sedibus successoribus; sed priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam est concessum (vt præsupponitur) Archiepiscopali dignitati talis Ecclesiæ, ergo competit omnibus Archiepiscopis dictæ Ecclesiæ; ergo transit ad successores.

12 Tertiò. Dignitas non moritur ad mortem illius, qui eam obtinet; sed semper remanet. *c. si gratiosè, de rescript. in 6. c. liberti 12. quæst. 1. c. bonæ memoriæ 36. de elect.* ergo ad mortem illius, qui dignitatem obtinet, non amittit priuilegium sibi concessum; ergo ad successores secum transfert sibi concessum priuilegium; ergo priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam sibi concessum transmittit ad successores.

Quod autem nō amittat huiusmodi priuilegiū, patet; quia non est personale, vt præsupponitur; ergo nō est limitatum ad vitam personæ; ergo sequitur ipsam dignitatem, vt perpetuum: ergo durante dignitate debet durare, & propterea transit ad successores.

13 Quartò. Priuilegia concessa Ecclesiæ, & dignitati in generalibus reuocationibus semper intel-

intelliguntur exclusa, nisi exprimantur. *c.fin. §. fin. de rescriptis in 6.* sed quæ in reuocationibus intelliguntur exclusa, durant, & transeunt ad successores; ergo priuilegium exclusum in reuocationibus transit ad successores. Priuilegium autem vtẽdi pallio extra Prouinciam nõ reperitur expresſè reuocatum, ergo transit ad successores.

14 Quintò probatur. Priuilegia Ecclesijs concessa sunt conseruanda, nec de mente Sedis Apostolicæ præsumitur illis derogatum. *c. de Ecclesiasticis 25. quæst.2.* ergo priuilegium vtẽdi pallio extra Prouinciam est conseruandum, & non præsumendum illi derogatum, & per cõsequens de mente Sedis Apostolicæ est, vt trãseat ad successores.

15 Sextò. Successor in dignitate, succedit in onere, & ho-
16 nore. *c.Pastoralis, §.1. de officio Ordinarij:* immo præsumitur eadem persona cum prædecessore, vt notant *Innoc. in c. quod sicut, de elect. Panorm.in c. super eo, de officio Iudicis deleg. n.9.* ergo succedit in honore deferendi pallium extra Prouinciam.

17 Septimò probatur. Si Summus Pontifex voluisset huiusmodi priuilegium non transire ad successores, concessisset personæ, cum priuilegium personale cesset cum morte personæ priuilegiatæ. *c.priuilegium 7. de regul. iur. in 6. vbi DD.* non autem concessisset dignitati; ergo si concessit dignitati (vt præsupponitur) signum est mentẽ, & intentionem Summi Pontificis fuisse, vt priuilegium sequatur dignitatem, & proptcree transeat ad successores.

18 Rationibus hinc inde deductis cõcludendum censeo cum *Panor. in c.ex tuarum, nu. 13. de auct. & vsu pallij, & ibidem Io.Andr. & DD. cõmuniter,* priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam concessum Archiepiscopali dignitati specialis Ecclesiæ transire ad successores in dicta dignitate, quia est priuilegium reale, & propterea transit ad omnes illius dignitatis possessores. *c.per exemptionẽ 9. de priuileg.in 6.* nam dignitas nõ variatur per mutationem personæ. *c.si gratiosè, de rescrips. in 6.*

19 Ad argumenta in cõtrarium allata, & primò ad primum respondetur. Priuilegium intelligendum esse secundum naturam materiæ, in quam cadit, nõ in omnibus, sed in ijs, quæ non destruunt ipsum priuilegium, & naturam rei, in quam cadit; & quatenus sint compatibilia cum ipsa re: sicut enim priui-
20 legium non debet destruere rem, in quam cadit, ita neque res ipsum priuilegium; si enim priuilegium deberet intelligi in

omnibus ſecundum naturam rei, in quam cadit, nõ eſſet priuilegium, cum priuilegium non ſit, niſi concedat aliquid ſpecialius. *c. Abbate, §. contra quod, de verborum ſignif. c. in his, in fine, de priuilegijs, c. fin. §. quamquam 25. quæſt. 1.* Ideo in noſtro caſu, cum priuilegium vtẽdi pallio extra Prouinciam nõ deſtruat naturam ipſius pallij, & ſit cum illo compatibile, vt ex ſe patet, quando tranſit in ſucceſſorem, nõ valet igitur illatio. Pallium non tranſit in ſucceſſorem; ergo etiam priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam non tranſit in ſucceſſorem.

21 Secundò reſpondetur: tale pallium in indiuiduo competit ex priuilegio perſonali, & ideo tale pallium non tranſit ad ſucceſſores: pallium verò in genere cõpetit ex priuilegio dignitati conceſſo, & ideo tranſit ad ſucceſſores, & vnuſquiſque in ea dignitate conſtitutus iure ſuo habet pallium: eodem modo tranſit ad ſucceſſores priuilegium vtendi pallio ſuo, non autem ſui prædeceſſoris extra Prouinciam, & ideo facta illatio nihil probat.

22 Ad ſecundum reſpondetur concedendo priuilegia eſſe ſtricti iuris, & non extendenda vltra mentem, & intentionem concedentis; ſed in noſtro caſu conſtat de mente cõcedentis, qui voluit huiuſmodi priuilegium tranſire ad ſucceſſores, eo quod illud conceſſerit dignitati, & non perſonæ.

23 Ad tertium reſpondetur: vſum iuriſdictionis, non autem vſum ſimplicem pallij peruertere Eccleſiaſticam Hierarchiã. *c. ſi quis Epiſcopus, & c. Epiſcopus 7. quæſt. 1.*

24 Ad quartum reſpondetur, priuilegium vtendi pallio in aliena Prouincia non nutrire inordinatum appetitum honoris, ſed ordinatum eius vſum, cum ſit ſub certis modis & forma in priuilegio præſcriptis, & ideo argumentum nihil probat.

Ad quintum reſpondetur. Priuilegium huiuſmodi non eſſe extendendum extra ſuos limites, ſed intra illos concludimus, dum iuxta mentem concedentis tranſmittimus ad ſucceſſores.

Ad ſextum reſpondetur eodem modo, vt in præcedenti.

25 Ad ſeptimum reſpondetur, ad conſuetudinem, & ſtylum Curiæ recurri, quando ſumus in dubio, vt docent *Panor. in c. conſtitutus 6. de Relig. Dom. Felin. in c. cæterum, n. 4. de reſcriptis, & alij*; non autem quando conſtat de mente concedentis; prout eſt in noſtro caſu ob rationes ſuperius allatas.

Pro maiori concluſionis, & articuli huiuſmodi intelligen-

tia, & dilucidatione, videndum est, quibus verbis concipiatur priuilegium personale, & quibus reale, ad hoc vt possit transire ad successores.

26 Et licet videatur in concussum apud omnes DD. quod nomina propria in dispositionibus inducant personalitatem, & specialem præsumptionem ad fauorem illius, cuius causa exprimuntur, *Bald. in l. 1. q. 3. ff. de officio Consulis, Dec. in c. quoniā Abbas 14. num. 36. de officio Iudic. deleg.* & propterea illi soli competat dispositio, cuius nomen exprimitur.

27 Appellatiua verò præsumptionem generalem inducant, quæ competat multis, *Dec. loco cit. num. 30.* & propterea faciāt dispositionem, & priuilegium reale, *l. & quia, ff. de iurisdictione omnium iudic. l. centesimis, ff. de verb. oblig. c. si gratiosè, de rescriptis in 6.*

Attamen quia aliquādo vniūtur nomina propria cum appellatiuis, & sic dubitari contingit, an dispositio sit realis, vel personalis, &

28 Aliquando etiam nomen proprium supprimitur, sed persona per verba appellatiua, & per circumlocutionem describitur; & similiter dubitatur, an dispositio sit realis, vel personalis; cum paria sint aliquid exprimi nominatim, vel per circumlocutionem *l nominatim, ff. de liber. & posth. & notatur in cap. in Lateranensi, de Præbendis*, cum circumlocutio, & nomina propria æquipolleant quoad certificandam personam; sed quoad significatum dispositionis, quādoque differunt; quia nomina appellatiua faciunt dispositionem realem, *cap. super eo, de officio Iud. deleg. cap. si gratiosè, de rescript. in 6. l. & quia, ff. de Iurisdict. omn. iudic. l contentionis, ff. de verborum obligat.* & ideo ad alias coniecturas recurrendum est; cum dubia ex coniecturis inuestigentur, *cap super eo 3. de testib. cogen. Hostien. in sum. de præsumption.*

29 Ad coniecturandam ergo qualitatem dispositionum, debemus principaliter attendere non nomina propria, seu appellatiua, sed earum tenorem, & alia vniuscuiusque dispositionis verba, *cap porro 7. & cap. Recepimus 8. §. fin. de priuileg.* necnō illius subiectam materiam perpendere, *cap. in his 30. de priuil.* & si verba, & subiecta materia innuunt dispositionem factam fuisse intuitu personæ, erit dispositio personalis, verbi gratia, si fiat dispositio, vel concedatur priuilegium ad fauorem, v.g. Archidiaconi Compostellan. absq; expressione nominis

30 proprij Archidiaconi, tunc tēporis, & in litteris fiat mentio

de

de ſcientia, moribus, alijſque perſonæ meritis euidenter colligitur, quod diſpoſitio, ſeu priuilegium ſint facta intuitu meritorum perſonæ; & propterea ſint perſonalia, *l.1.ff. de conſtit. Princip. l.in omnibus cauſis, ff. de reg. iur.*

31 Aliquando ex verbis quidē, & materia etiam colligitur priuilegium perſonale, prout eſt, in *l.maritum, ff. ſoluto matrimon.* vbi maritus ex peculiari priuilegio non tenetur, nec poteſt carcerari. *Bald. in l. liber captus, in fin. C. de Poſtl m nio reuerſis, Franc Ant. in l.alia, §.eleganter, num. 1. ff ſolut. matrimon. Couar. variar. reſolut lib.2.c. 1. num.4. verſ ſit tandem.*

32 Aliqui tenent cum *gloſ. in l. cum ita §.1. ff. de condit. & demōſtrat.* optimam eligi coniecturā, quod ſit priuilegium perſonale, quando nomen proprium præcedit, & appellatiuum ſubſequitur, eo quod inde colligatur Principem primo reſpexiſſe ad perſonam; cum vniuſcuiuſque rei potiſſima pars ſit principiū, *l.1. vbi gloſ. ff. de origine iuris*, & prior nominatus cenſeatur magis dilectus, *l ſi communis ſeruus 2. ff. de ſtipulat. ſeruor. c. ſi quis, de elect. in 6.* & ideo optima videtur coniectura, priuilegium fuiſſe conceſſum intuitu perſonæ, & propterea eſſe perſonale; ſecus eſſe, ſi præcedat nomen appellatiuum.

33 Alij exiſtimant, ſiue præcedat, ſiue ſubſequatur nomen appellatiuum, ſemper cenſendum priuilegium cōceſſum dignitati; & propterea eſſe reale, quia qualitas potentior elidit minorem, *l. ſi debitor, in fine, ff. de fideiuſſor. l.cui pacto, ff. de ſeruis aſportandis.* Potentior autem eſt qualitas dignitatis, quā priuatæ perſonæ.

34 Cenſent alij, quando in priuilegio exprimitur nomen proprium, & nomen appellatiuū, & dubitatur ad cuius fauorem ſit conceſſum, tunc attenendū eſſe, an perſona priuilegiata ſit familiaris, vel notus concedenti: ſi eſt familiaris, vel notus, tunc in dubio habendum eſſe priuilegium conceſſum ex familiaritate, & notitia perſonæ, nō autem intuitu dignitatis: & ideo priuilegium eſt perſonale, & non tranſit ad ſucceſſores: ſed hæc diſtinctio nullius mihi vi-
35 detur momenti, nam conſuetudo iam diù vſu recepta in curia Romana eſt, vt quando vtrumque nomen exprimitur in priuilegio, ſemper fiat mentio de ſucceſſoribus, ſi Summus Pontifex intendat ad eos extendere priuilegium, prout videre
36 quis poterit in litteris S. M. Ioannis XIII. pro erectione Beneuentanæ Eccleſiæ in Archiepiſcopatum, & conceſſione pallij factis Landulpho Primo dictæ Eccleſiæ Archiepiſcopo de men-

mense Maij, anno 969. & Gregorij XIII. pro Ecclesia Bononien. erectæ in Metropolitanã, & pro vsu pallij concesso Cardinali Gabrieli Paleotto illius similiter primo Archiepiscopo 4. Idus Decembris 1582. & quamplurimis alijs.

37 Alij demùm considerant causam, ex qua fuit concessum priuilegium, & volunt tamdiù durare priuilegium, quamdiù durat dicta causa, *Bart. in l. Titia 89. §. vsuras, num. 1. ff. de legat. 2.*

38 Omissis igitur tot in hac materia opinionibus concludendum existimo saltem quoad nostrum propositum tria perpendi debere in priuilegio, & primo illius materiam; hæc enim; vel est odiosa, vel fauorabilis: si est odiosa, eo quod inferat præiudicium tertio, priuilegiũ est restringendum, & strictè interpretandum, quando est dubia mens, & intentio concedẽtis. *Oldrad. cons. 286. Roman. cons. 180. in fin Panor. in c. licet, num. 2. de Decimis*, & ideo in dubio priuilegium censetur personale, & non reale, & propterea non transire ad successores.

Si verò materia est fauorabilis, & nemini præiudicium inferat, in dubio censendum est, priuilegium esse reale, & propterea transire ad successores.

39 Secundò, consideranda causa concessionis priuilegij, an sit priuata, vel publica: si priuata, videlicet meritum priuatę personæ, priuilegium est personale, vt supra probauimus, & non transit ad successores.

40 Si est publica, id est merita vniuersitatis; vel prædecessorum in officio, & dignitate, illaque sint exorta ex eisdem officio, & dignitate, remunerata censentur officium, & dignitas, & ideo priuilegium existimo reale, & transire ad successores in eisdem dignitate, & officio, eo quod dignitas, & officium non moriantur ad mortem ea obtinentium, vt supra probauimus.

41 Tertio. Tenor priuilegij maximè perpendendus est, *cap. tenor. 10. de sent. & re iudic. c. cum venissent 25. §. quæstiones, vbi Felin. de testib.* Tenor enim priuilegij est ipsa series verborum, quibus animus, & intentio cõcedentis declarantur, *cap. 1. de libell. oblat. c. cum adeo 17. de rescript. c. series 26. & cap. ex tenore 35. de testibus, Clem. 1. de priuileg.*

Quæ tria præsupponuntur fauere secundæ sententiæ, vt illa subsistat, alias corrueret, quia prædictum priuilegium est de materia alteri præiudiciali, & ideo strictè interpretandum ob rationes superiùs allatas.

CAPVT XXVI.

An Archiepiscopus renuncians loco, non autem dignitati possit exercere Pontificalia cum pallio.

SVMMARIVM.

1 *Ex pallio dignoscitur Archiepiscopus ab Episcopo.*
2 *Archiepiscopus renuncians loco, non videtur priuatus vsu pallij, & num. 3.*
4 *Contrarium deciditur.*
5 *Vsus pallij conceditur intuitu Ecclesiæ.*
6 *Cessat priuilegium, cessante illius causa.*
7 *Renuncians perdit omne ius in re, quam renunciat.*
8 *Pallium censetur sepultum per renunciationem.*
9 *Pallij vsus extra propriam Prouinciam non est permissus.*
10 *Vsus pallij extra Prouinciam à solo Papa conceditur.*
11 *Renuncianti loco, nudum illius remanet nomen.*
12 *Quoad locum reputatur mortuus.*
13 *Vir moritur vxori, quando ab illa separatur iudicio Ecclesiæ.*
14 *Matrimoniũ spirituale, & carnale æquiparantur.*
15 *Ad Archiepiscopi nomen requiritur receptio pallij, non autem retentio.*

1 CVm pallium sit præcipuũ insigne, & ornamentum Archiepiscopalis dignitatis, & in hoc quidem dignoscatur Archiepiscopus ab Episcopo, non videtur priuandus vsu pallij, qui renunciauit loco, non autem dignitati Archiepiscopali, cum adhuc remaneat Archiepiscopus, & nomen retineat ipsius Archiepiscopalis Ecclesiæ; si enim erat Archiepiscopus
2 Seneñ, pòstquam loco renunciauit, adhuc appellatur Archiepiscopus Seneñ; & ideo poterit in Ecclesia Senen. saltem de licentia sui successoris exercere Pontificalia cum pallio.

3 Secundo probatur ante pallij receptionem electus in Archiepiscopum non potest se nominare Archiepiscopum, *c. quod sicut* 28. §. *super eo, de elect. c. nisi, de auct. & vsu pallij, vbi DD. communiter*, ergo sine pallio nemo se potest nominare Archiepiscopum; ergo, si renuncians loco, non autem dignitati potest se nominare Archiepiscopum, poterit etiam exercere Pontificalia cum pallio.

Sed

4 Sed his non obstantibus cõtrarium decidendum est, videlicet Archiepiscopum renunciantem loco, & non dignitati, nullo modo habere vsum pallij.

Primò. Ex textu in *c.ad supplicationem, 9. de renunciat.* vbi Archiepiscopo Ragusiñ, qui loco, & non dignitati renunciauerat, ex peculiari gratia conceditur, vt possit Pontificalia exercere, absque tamẽ vsu pallij; ergo renuncians nullo modo potest vti pallio, etiã si exerceat Pontificalia.

5 Secundò. Pallij vsus conceditur Archiepiscopo intuitu suæ Ecclesiæ. *c.1. cum sequen. de auct. & vsu pallij*; ergo quãdo Ecclesia nõ est amplius sua, non potest amplius vti pallio,
6 quod illius intuitu habebat: cessãte enim causa priuilegij, cessat ipsum priuilegium, vt supra diximus. Quod autem Ecclesia non sit amplius sua, patet, quia,
7 qui renunciat, perdit omne ius, quod habebat in re, quam renunciauit. *c.ex transmissa 3. de renunciat.* sed Archiepiscopus renunciauit Ecclesiam; ergo perdidit omne ius, quod in ea habebat; ergo Ecclesia non est amplius sua, & per consequens non potest amplius vti pallio, cuius vsum in ea, & eius intuitu habebat.

8 Tertiò. Per renunciationem Ecclesiæ pallium censetur sepultum, ita *Io. Andr. in c.ad honorem, n.3. & ibi Innoc. de auct. & vsu pallij*; ergo sublatum censetur ab hominum cõmercio; ergo Archiepiscopus renuncians non potest amplius pallio accepto vti.

9 Quartò. Extra propriã Prouinciã pallij vsus non est permissus. *c.ex tuarum de auct. & vsu pallij*; ergo renuncianti loco, nullibi est permissus vsus pallij, cum nullibi habeat propriam Prouinciam, & illa, quam renunciauit non sit amplius sua, & alter eius loco sit subrogatus.

10 Nec suffragari potest licentia successoris in Archiepiscopatu, quia pallij vsum concedere, tam in propria, quàm in aliena Prouincia spectat solum ad D. Papam. *c. ex tuarum, & c.nisi, de auct. & vsu pallij.*

11 Ad argumenta in cõtrarium allata. Respondeo, & primò ad primum, Archiepiscopo renũcianti loco nudam solum remãsisse denominationem; ex nuda vero denominatione nullum sequi ius, *arg. c.multi, in fine 2. quest. 1. & c.Sacerdotibus 11. quest. 1.*

12 Secundo respõdeo. Archiepiscopum, qui renunciauit loco, & non dignitati, reputari mortuum quoad ipsum locum; cum per renunciationem fuerit à dicta Ecclesia separatus au-
13 ctoritate Apostolica; & sicut

vir moritur vxori, cum iudicio Ecclesiæ separatur ab vxore, 33. *quæst. 2. in sum. in principio, gloss. in c. susceptum 6. ver. non morte, de rescriptis*, ita etiam Archiepiscopus, cum separatur iudicio Sedis Apostolicæ à sua Ecclesia, reputatur mortuus Ec
14 clesiæ, quam renunciauit; cum matrimonium spirituale, & carnale æquiparentur, vt similia, & æquiparatorum sit idem iudicium. *l. 1. ff. de legat. 1. Gloss. in l. si quis seruo, C. de furtis, & in c. si postquam, §. fin. de elect. in 6.* & ideo Archiepiscopus resignans Ecclesiam eodem ferè modo denominatur Archiepiscopus dictæ Ecclesiæ, sicut alij sui prædecessores prædefuncti; & sicut hi non habent vsum pallij, licet denominentur Archiepiscopi dictæ Ecclesiæ, ita & resignans.

15 Ad secundum respondeo, concedendo totum argumentum, sed negando illationem ex illo factam; nam ad hoc, vt quis se nominare possit Archiepiscopum, necessè quidem est, vt præcedat receptio pallij, nõ autem, vt illius retentio subsequatur renunciationem loci, quoad vsum, prout habetur in d. *c. ad supplicationem*.

CAPVT XXVII.

Archiepiscopus inuitatus ab alio Archiepiscopo ad exercenda Pontificalia in aliena Diœcesi, an possit ibi vti pallio.

SVMMARIVM.

1 *Insignia dignitatis etiam extra Prouinciam deferri possunt.*
2 *Extra propriam Prouinciam exerceri possunt, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis.*
3 *Iurisdictio contentiosa exerceri potest in aliena Diœcesi de licentia Ordinarij loci.*
4 *Quæ non sunt specialiter prohibita, præsumuntur cõcessa.*
5 *Archiepiscopo Ragusin. expressè prohibetur vsus pallij.*
6 *Vsus pallij extra Prouinciam nõ competit de iure communi.*
7 *Archiepiscopus vocatur in partem solicitudinis Pontificiæ.*
8 *Pallium est signum Prælationis.*
9 *Vsus pallij vbique soli D. Papæ competit.*
10 *Quod competit vni solum, excludit*

cludit quemlibet alium.
11 *Inferior non potest disponere de ijs, quæ ad superiorem spectant.*
12 *Archiepiscopus non potest concedere alteri vsum pallij in sua Prouincia.*
13 *Vsus pallij competit Archiepiscopo ex priuilegio.*
14 *Priuilegiatæ concessiones seruandæ in quibus loquuntur.*
15 *Cõsuetudo vsus pallij extra Prouinciam est corruptela.*
16 *Consuetudo habet vim legis.*
17 *Introducit quicquid potest concedi per priuilegium.*
18 *Nemo plus iuris in alium transfert, quàm ipse habeat.*
19 *Priuilegium pallij est mixtum cum locali, & personali.*
20 *Non extenditur ad alia loca, & personas.*
21 *Requiritur speciale priuilegiũ.*
22 *Non omnia dignitatis insignia vbique deferri possunt.*
23 *Vsus pallij in aliena Prouincia est contentiosæ iurisdictionis.*
24 *Ex diuersis non fit illatio.*
25 *Multa prohibita intelliguntur, quæ nõ inueniuntur expresse prohibita.*
26 *Vsus pallij in aliena Prouincia est expresse prohibitus.*
27 *Declaratio c. ad supplicationẽ, & num. 28.*
29 *Archiepiscopus in aliena Prouincia est sicut simplex Episcopus:*
30 *Prohibitio non fit semper de re alias permissa.*

1 CVm pallium sit vnum ex insignibus Archiepiscopalibus. *c. nisi, de auct. & vsu pallij*; insignia autem dignitatis etiam extra Prouinciam propriam deferri possunt, licet iurisdictio solum intra Prouinciam debeat exerceri. *l. 1. & 2. ff. de officio Proconsulis*, ideo videtur dicendum, quod pallium absque iurisdictionis exercitio possit deferri extra Prouinciam, cum solum indicet dignitatis honorificum statum, qui vbique personam in dignitate cõstitutam sequitur, & propterea insignia denotantia dignitatem personæ vbique locorum quis secundum suæ dignitatis qualitatem deferre potest. *glos. in Clem. Archiepiscopo, de priuil. Panor. in c. 1. vt lite non contestata, & c. Antiqua, de priuil. & in c. 1. de auctor. & vsu pallij*; ergo Archiepiscopus inuitatus ab alio Archiepiscopo potest cum pallio Pontificalia in illius Ecclesia exercere.

2 Secundò probatur. Extra propriam Prouinciam exerceri possunt, quæ sunt voluntariæ, non autem contentiosæ iurisdictionis, d. *l. 2. & vlt. ff. de iurisdict. omnium Iudicum, l. 3. ff. de officio Præsidis, c. vt animarum, de Constit. in 6. prope finem, glos. in c. nouit ille, de officio Legati in ver. terminos*, sed exercere Pontificalia cum pallio non est con-

tentiosæ, sed voluntariæ iurisdictionis; ergo Archiepiscopus inuitatus ad exercenda Pontificalia potest cum pallio illa exercere de Archiepiscopi inuitantis licentia.

3 Tertiò probatur. Iurisdictio contentiosa exerceri potest in aliena Diœcesi de Ordinarij loci licentia, *Clem.1. de foro competenti*; ergo multò magis voluntaria; ergo Archiepiscopus inuitatus ab alio Archiepiscopo ad exercenda Pontificalia in illius Prouincia, potest ibi deferre pallium, quamuis denotaret iurisdictionem.

4 Quartò probatur; quæ non specialiter prohibentur, concessa præsumuntur. *l. necnon*, §. *quod eius, ff. ex quibus causis maior.* sed delatio pallij in aliena Prouincia de illius Metropolitæ licentia non reperitur prohibita; ergo præsumitur cõcessa. Quod confirmatur ex

5 *c. ad supplicationem*, §. *fin. de renunc.* vbi Archiepiscopo Ragusiñ expresè prohibetur delatio pallij in aliena Prouincia; ergo præsumitur alias potuisse de iure vti pallio in aliena Prouincia. Prohibitio enim fit de re alias permissa, non autem prohibita, *arg. c. Pastoralis 53. de appellat. & c. inter corporalia, de translat. Prælat.*

6 His tamen non obstantibus contrarium decidendum est cũ *Archid. in c. pallium, n. 2. dist. 100. Io. Andr. in c. ex tuarum, n. 10. Butr. ibidem n. 7. Innoc. n. 1. & Anchar. n. 1. de auct. & vsu pallij, Hostien. in summ.* §. *& quo loco, n. 6. eodem tit. Panor. in d. c. ex tuarum, nu. 1. cum sequen. & alijs DD. communiter*, qui omnes affirmant de iure communi non competere vsum pallij extra Prouinciam.

7 Probatur primò. Archiepiscopi sunt vocati in partem solicitudinis Pontificiæ. *c. ad honorem*, §. *fin. de auct. & vsu pallij*; sed pars solicitudinis Pontificiæ denotat vnam, & determinatam Prouinciam per dictũ textum, & DD. ibidem; ergo Archiepiscopi sunt vocati ad vnam, & determinatã Prouinciam: signum autem istius vocationis, & partis istius solicitudinis est palliũ. *c. nisi, de auct. & vsu pallij*; ergo Archiepiscopus non potest illud deferre extra sibi determinatã Prouinciam.

8 Secundò probatur. Pallium est signum prælationis. *c. ad honorem, Io. Andr. loco cit. nu. 10.* sed prælatio non est in aliena Prouincia; ergo pallium non potest deferri in aliena Prouincia.

9 Tertiò probatur. Delatio pallij per omnes Prouincias, & vbique competit solum Summo Pontifici, d. *c. ad honorem*,
10 sed quod competit vni personæ solum, excludit quamlibet aliam

aliam personam, *arg. l. si te so-*
lum, ff. de hæred. instit. ergo de-
latio pallij per omnes Prouin-
cias si competit solum Summo
Pontifici, excludit Archiepi-
scopos.

Confirmatur, quod compe-
tit solum Summo Pontifici, nō
potest vnus Archiepiscopus
concedere alteri Archiepisco-
11 po in sua Prouincia, (cum in-
ferior non possit de ijs, quæ ad
superiorem spectant disponere,
12 *arg. c. cum inferior, de maiorit. &*
obed.) sed vsus pallij per om-
nes Prouincias spectat solum
ad Summum Pontificem; er-
go illum non potest vnus Ar-
chiepiscopus concedere alteri
Archiepiscopo in sua Prouin-
cia.

13 Quartò probatur. Vsus pal-
lij competit Archiepiscopis ex
mero priuilegio, vt supra pro-
bauimus; ergo secundum pri-
uilegij formam debet illo vti;
14 quia priuilegiatæ concessiones
debent seruari in rebus, in qui-
bus loquuntur. *c. cum planta-*
re 3. c. porrò 7. & c. petisti 20.
de priuil. Panor. in c. cum ordi-
nem 6. n. 2. de rescript. vsus ve-
ro pallij est priuilegiata cōces-
sio; ergo debet seruari in locis
solum in priuilegio expressis;
ergo solum in sua Prouincia est
seruandus illius vsus; quia so-
lum de Prouincia loquitur, &
propterea Archiepiscopus, nec
de licentia alterius Archiepi-
scopi potest extra suam Pro-
uinciam deferre pallium.

15 Quintò probatur, ex *c. ex*
tuarum, de auct. & vsu pallij,
vbi contraria consuetudo ap-
pellatur corruptela; ergo si cō-
16 suetudo, quæ parem vim ha-
bet cum lege. *l. de quibus, ff. de*
legibus. c. fin. de consuetudine, &
17 introducere potest quicquid
potest per priuilegium conce-
di, *Card. Tuscus tom. 2. litt. C.*
conclus. 808. non suffragatur,
multo minus suffragabitur li-
centia Archiepiscopi, quæ est
minoris momenti, & efficaciæ.

18 Sextò probatur. Nemo plus
iuris in alium transferre potest,
quam ipse habeat. *c. nemo po-*
test 79. de regul. iur. in 6. l. 2. C.
de pœnis, l. 1. C. qui pro sua iu-
risdict. Surd. cons. 126. sed Ar-
chiepiscopus nō habet ius exer
cendi Pontificalia cum pallio
in aliena Prouincia, vt supra
probauimus; ergo huiusmodi
ius non potest transferre in
Archiepiscopum inuitatum;
ergo Archiepiscopus inuitatus
non potest deferre pallium in
aliena Prouincia etiam de licē-
tia Archiepiscopi inuitantis.

19 Septimò. Priuilegium vten-
di pallio est mixtum ex locali,
& personali. *c. 2. c. ad honorem,*
& c. ex tuarum, de auct. & vsu
pallij. c. bonæ, il 2. de postulat.
20 *Prælat.* sed priuilegium perso-
nale, & locale non extenditur
ad alias personas, & loca. *c. pri-*

uilegium, de reg. iur. in 6. l. si quando, & ibi Bart.num.1, C.de inoff testam.Ceph.cons.96.num.4 part.1. ergo non potest ab Archiepiscopo inuitante extendi ad loca non expressa.

21. Concludendum igitur est Archiepiscopum in aliena Prouincia non posse habere vsum pallij etiam de licentia Metropolitani illius Prouinciæ, nisi habeat de hoc expressum priuilegium *d.c ex tuarum.*

22. Ad argumenta in contrariũ allata. Respondeo, & primo ad primum, negando quod omnia dignitatis insignia vbique deferri possint; & propterea in iuribus citatis prohibetur Procõsulibus deferre insignia Proconsularia in Vrbe, *& in cap.ex tuarum, & alijs capitibus citatis*, prohibetur Archiepiscopis vsus pallij extra Prouinciam.

23. Ad secundum, Respondetur negando minorem, quia exercere Pontificalia cum pallio nõ est voluntariæ, sed contentiosæ potius iurisdictionis; cum indicet superioritatem in loco & sit contra formam priuilegij.

24. Ad tertium Respondetur, ex diuersis non fieri illationem, *l. Papinianus, ff. de minor.* non enim ex eo, quod in aliquibus casibus, quis possit exercere de licentia Ordinarij loci iurisdictionem contentiosam extra suam Diœcesim, necessariò infertur, quod possit ibi deferre pallium.

Secundò, Respondetur eodem modo deferri posse palliũ in aliena Prouincia de Metropolitani illius licentia; sicut, & iurisdictio in aliena Diœcesi, sed iurisdictio non potest exerceri, nisi in casibus à iure expressis, ita etiam pallium deferri non potest, nisi in casibus à priuilegio expressis, quod nos non negamus, sed solum negamus non posse absque priuilegio, cum sola Metropolitani licentia deferri pallium in aliena Prouincia.

25. Ad quartum Respondetur primo negando maiorem, cum non sit vniuersaliter vera: multa enim prohibita intelliguntur quæ non inueniuntur expressè prohibita, *cap.pastoralis 53. de appell. c.inter corporalia, de transl. Prælat. l.Gallus, §.ille casus, vbi Alex.num.9.C.de iure dot.*

26. Secundò, dato, & non concesso, quod maior sit vera, adhuc respondetur negando minorem, quia vsus pallij in aliena Prouincia est generaliter, & expressè prohibitus, per *d.cap. ex tuarum*, nec limitanda huiusmodi prohibitio ad vsum pallij, qui fit absque Metropolitani licentia; quia iste vsus est de sui natura illicitus: cum nemo possit Pontificalia exercere in aliena, *per Concil.Triden.sess.6.de reformat.cap.5*, & consequenter

nec

nec pallio vti, absque simili licentia; & propterea ad eum excludendũ non requiritur expressa prohibitio, sed intelligitur de eo casu, qui fit de Metropolitani loci licentia; & propterea videri posset licitus, *arg. cap. Pastoralis 53. de Appellat.*

27 Ad textum *in c. ad supplicationem,* pro confirmatione allegatum. Respondetur primo prohibitionem ibi factam fuisse maioris declarationis causa; ne videretur cum exercitio Pontificalium in aliena Diœcesi concessus etiam vsus pallij Archiepiscopo; & propterea subiungitur officium Episcopale valeat exercere, non autem dicitur Archiepiscopale officium.

28 Secundò, Respondetur ex dicto textu comprobari nostrã sententiam, dum expressè prohibetur Archiepiscopo Ragusino vsus pallij in aliena Prouincia commoranti, & Pontificalia exercenti de licentia illius Metropolitani, cui reuerentiã, & obedientiam est alias impensurus; & consequenter declaratur non posse Metropolitanum concedere illi huiusmodi licẽtiam.

29 Nota ex dicto textu cum *Hostien. in summ. § fin de auct. & vsu pallij,* Archiepiscopum in aliena Prouincia se habere sicut simplicem Episcopum, & ideo, vt Episcopus sine pallio potest de Ordinarij loci licentia ordines conferre, aliaq; Pontificalia exercere.

20 Ad illud, quod prohibitio fit de re alias permissa, Respondeo non esse vniuersaliter verum, quia aliquãdo prohibetur, quod non est in se licitum, & propterea non permissum, prout est in toto titulo de Simonia, & similibus.

CAPVT XXVIII.

An Archiepiscopus inuitans alium Archiepiscopum ad exercenda Pontificalia possit illi commodare proprium pallium.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiscopus videtur cum alieno pallio exercere posse Pontificalia.*

2 *Vestimenta sacrata ab insacratis non tangenda.*

3 *Quisque Episcopus, & Sacerdos deferre debet easdem vestes in sui consecratione acceptas.*

Vsus

4 *Vsus pallij in aliena Prouincia est ad ornatum.*
5 *Vestes ad ornatum seruientes nõ interest, an sint propria, vel aliena.*
6 *Pallium vnicuique Metrepolitæ assignatur proprium suæ Ecclesiæ.*
7 *Archiepiscopus non potest alieno pallio vti.*
8 *Pallium personam non transit.*
9 *Iura personalia non transferuntur.*
10 *Vsus talis pallij est restrictus ad locum, & personam.*
11 *Priuilegium concessum duobus coniunctim, sine altero eorũ esse non potest.*
12 *Argumenta contraria diluuntur, & num.* 13.14.15.*&* 16.
17 *Archiepiscopus neque in propria Ecclesia vti potest alieno pallio.*

POsito, quod adsit priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam, dubitari contingit, an Archiepiscopus inuitatus, qui secum non detulerit proprium palliũ, possit illud accõmodatũ accipere ab Archiepiscopo illius Prouinciæ inuitãte, & cum eo Pontificalia ibi exercere.

1 Videtur posse. primo, *ex cap. vestimenta, de consecr. dist.* 1. vbi
2 prohibetur vestimenta sacra tangi, & deferri ab insacratis hominibus, quia solum deferenda sunt à sacratis, idest ab his, ad quorum ordinem vnaquæq; vestis spectat, *c. Ecclesiastica, & c. communis dist.* 23. sed pallium est vestimentum sacrum, ergo non prohibetur ab Archiepiscopo extraneo tangi, & deferri pallium alterius Archiepiscopi, cum vterque sint, & sacrati, & paris dignitatis; ergo pallium potest commodari.

3 Probatur secundo, eodem *c. Ecclesiastica*, vbi expresè habetur, quod quisq; Episcopus & Sacerdos ferat tempore oblationis, quod tempore consecrationis accepit, & *ibi glos. in principio*, & tamen nemo dubitare potest, quin textus loquatur de vestibus eisdem specie, & non numero, ergo eodem modo dicendum videtur de Archiepiscopo, non esse necesse, vt ille vtatur pallio eodem numero, quod accepit, sed satis esse, vt sit idem specie; ergo vti potest pallio alterius Archiepiscopi.

4 Probatur tertiò, Vsus pallij in aliena Prouincia est ad ornatum, non autem ad superioritatem indicandam, *c. ex tuarum, de auct. & vsu pallij*, sed quæ ad ornatum, vel ad quid aliud præter iurisdictionem significandã sunt, non interest an sint propria, vel aliena (dummodo nõ excedant qualitatẽ personæ) ergo vsus pallij in aliena Prouincia parum interest, an illud sit proprium, vel alienum: ergo Archiepiscopus inuitatus potest

test vti pallio sibi ab Archiepiscopo illius Prouinciæ commodato.

6 Probatur quarto. vnicuique Metropolitanæ Ecclesiæ est assignatum pallium, quo illius Ecclesiæ Archiepiscopus intra suæ Prouinciæ Ecclesias vestiri, & vti possit; sed Archiepiscopus inuitatus exercens Pontificalia in dicta Prouincia pro Archiepiscopo inuitante repræsentat illius personam, & non propriam, ergo vt repræsentās personā Archiepiscopi inuitātis in ministerio Pontificalium potest vestiri, & vti illius pallio Ecclesiæ: quod autem Archiepiscopus inuitatus repræsentet personam Archiepiscopi inuitantis, patet, quia, qui per alium facit per se ipsum facere videtur.

7 His tamen non obstantibus contrarium decidendum est, videlicet non posse Archiepiscopum, tam in sua, quam in aliena Prouincia exercere Pontificalia cum alieno pallio, ita *Io. Andr. Panor. Butrius, Anchar. Innocen. & DD. communiter in cap ad hoc, de auct. & vsu pallij. Syluest. in ver pallium in fine, Azor. instit. moral. parte 2. lib. 3 1. q. 8. nu. 34. Durand. in Rational. Diuini officij lib. 3. cap. 7. num. 12. Layman. de Prælat. Ecclesiastic. elect. cap. 14. q. 159.*

8 Probatur primo: *ex d cap. ad hoc*, vbi statuitur non esse conueniens, idest iustum, *vt DD. ibi*, vt pallium suum quis alicui accōmodet, cum pallium personam non transeat, sed quisq; cum eo debeat sepeliri, ergo nō potest cōmodari extraneo Archiepiscopo.

9 Probatur secundo, Iura personalia non possunt transferri de persona, in personam, *l. quia tale, ff. soluto matrimonio, quando dos petatur, cap priuilegium, de reg. iur. in 6.* sed talis pallij vsus est ius personale, quia cum illo palliatus debet sepeliri, ergo non potest transferri ad Archiepiscopum extraneum.

10 Tertio probatur. Vsus talis pallij est restrictus ad locum, & personam, *c. 1. de auct. & vsu pallij*, ergo non potest extendi ad alium locum, & personam.

11 Probatur quarto, Priuilegiū, quod coniunctim conceditur personæ, & loco, sine altero eorum esse non potest, *l. fin. C. de testam. l. milites 15. §. fin. C. de testamento militis*; Sed priuilegium vtendi pallio conceditur coniunctim personæ, & loco, *cap. bonæ 4. in fine, vbi glos in verbo pallium de postulat. Prælat.* ergo palliū nō potest esse sine persona, & loco, quibus cōceditur, sed tale pallium, est concessum tali personæ & tali loco, vt supra probauimus, ergo non potest esse sine illis: ergo non potest commodari extraneo Archiepiscopo.

12 Ad argumenta in contrariũ allata, & primo ad primum respondetur dictum capitulum solummodo statuere, quod vestimenta sacra non tangantur, vel deferantur ab insacratis, non autem quod illa possint sibi inuicem commodari.

13 Secundò, Respondetur dictum capitulum loqui simpliciter, & generaliter de illis vestimentis sacris, de quibus per sacros Canones aliter non fuit dispositum; prout est in casu nostro de pallio per dictum capitulum ad hoc, & propterea argumentum nihil probat.

14 Ad secundum, Respondetur eodem modo, *cap. Ecclesiastica*, habere locum in ijs vestibus, de quibus aliter non fuit dispositum per sacros Canones prout est de pallio in casu nostro.

15 Ad tertium, Respondetur, minorem propositionem non esse vniuersaliter veram, sed solum habere locum in ijs, in quibus per sacros Canones non fuit aliter dispositum, prout est in casu nostro de pallio.

16 Ad quartum, Respondetur, parum referre, quod extraneus Archiepiscopus repræsẽtet personam Archiepiscopi loci, in quo Pontificalia pro illo exercet, quoad vsum pallij, cum hoc specificè prohibeatur, per *dictum cap. ad hoc*, & ideo concludendum est Archiepiscopũ, qui inuitat alium Archiepiscopum ad Pontificalia exercenda in sua Diœcesi nõ posse illi cõmodare suum pallium; & propterea inuitatus, vel deferat secum proprium pallium, vel sine illo exerceat Pontificalia.

Easdem ob causas, neque commodatum petere potest pallium ab extraneo Archiepiscopo, vt cum illo in propria sua Prouincia exerceat Pontificalia.



CAPVT XXIX.

An Archiepiſcopus translatus ad alium Archiepiſcopatum, poſſit vti pallio primæ ſuæ Eccleſiæ,

SVMMARIVM.

1 *Archiepiſcopus translatus ad aliam ſimilem Eccleſiam, videtur vti poſſe primo pallio.*
2 *Pontificalia exercere poteſt in ſecunda Eccleſia ſtatim poſt confirmatam poſtulationem.*
3 *Archiepiſcopus debet vti proprio pallio in aliena Prouincia.*
4 *Per translationem fit Eccleſia propria.*
5 *Archiepiſcopus translatus non poteſt vti pallio primæ Eccleſiæ.*
6 *Nouum petere debet.*
7 *Quod competit contemplatione loci, ceſſat ceſſante loco.*
8 *Priuilegium cenſetur ceſſum per ceſſionem loci priuilegiati.*
9 *Conceſſum coniunctim loco, & perſonæ ceſſat, ceſſante altero eorum.*
10 *Ruſticus in villa excuſatur à ſolemnitatibus teſtamentarijs.*
11 *Miles etiam in actu pugnæ.*
12 *Coniũctio Eccleſiæ cum ſuo Prælato ceſſat per translationem.*
13 *Pallium competit vnicuique Metropolitanæ Eccleſiæ independenter ab alia.*
14 *Pallium primæ Eccleſiæ cenſetur ſepultum per translationem ad ſecundam.*
15 *D. Papa transferendo Archiepiſcopos, promittit nouum pallium.*
16 *Succeſſor in Archiepiſcopatu nõ poteſt vti pallio prædeceſſoris.*
17 *Archiepiſcopus per receptionem pallij conſtituitur Archiepiſcopus ſpecialis Eccleſiæ.*
18 *Lex facilius adaptatur ad ea, quæ frequenter accidunt.*
19 *Argumenta in contrarium adducta euacuantur, & num. 20. & 21.*
22 *Archiepiſcopus translatus ad Eccleſiam Epiſcopalem amittit vſum pallij.*

CVm contingat aliquãdo aliquem Archiepiſcopum trãſferri de vno Archiepiſcopatu, ad alium Archiepiſcopatum, *cap. bonæ 4. de poſtulat. Prælat.* propterea contingit dubitari, An Archiepiſcopus translatus poſſit vti pallio primæ ſuæ Eccleſiæ, vel aliud teneatur à Sede Apoſtolica petere, & expectare.

Ra-

1 Ratio prima dubitandi est, quia primum pallium sequitur Archiepiscopum, iuxta *c. ad hoc, supra cit. & ibi DD. cōmuniter* vsque ad mortem, immo cum eo debet sepeliri, ergo videtur concessum illo vti etiā in secunda Ecclesia, & non est necesse aliud petere, cum illud iam assumptum de corpore S. Petri, & à Sede Apostolica acceperit, & secundū esset frustratorium: ideoque non petēdum: frustra enim fit per plura, quod potest fieri per pauciora. *l. 1. ff. quod metus causa, l. generaliter, C. de instit. sub conditione factis*.

2 Ratio secunda est. Archiepiscopus translatus ad aliam Ecclesiam Archiepiscopalem, eo ipso, quod eius postulatio fuit confirmata à Sede Apostolica, potest exercere ibi iurisdictionalia. *c. 1. §. fin. de translat. Episc.* habet iam ordinem, & vsum pallij, alias obtinuit à Sede Apostolica, quando fuit promotus ad primam Ecclesiam; ergo potest vti in Pontificalibus pallio primæ Ecclesiæ.

3 Ratio tertia est Archiepiscopus habens priuilegium vtendi pallio extra suam Prouinciam, potest, & debet vti suæ Ecclesiæ pallio in aliena Ecclesia, in qua nullum habet ius, vt supra probauimus; ergo multò magis Archiepiscopus translatus vti potest primæ suæ Ecclesiæ pal-
4 lio in secunda Ecclesia, quæ iā per translationem est facta sua, & in ea habet ius; cum in vtroque casu palliū non sit assignatum, & præscriptum dictis Ecclesijs, & tamen illius vsus sit licitus.

5 Contrarium quidem decidendum est cum *Innoc. in c. bonæ 4. n. 10. & ibi Butr. de postulat. Prælat. Panor. in c. ad hoc 2. n. 7. vbi Io. Andr. nu. 3. & DD. communiter, de auct. & vsu pallij, Roder. à Cuncha in suo Commento ad c. pallium 10. dist. 100. Barbos. de iure Ecclesiast. l. 1. c. 7. de Archiep. & Metropol. nu. 122. Layman de Prælat. Eccles. elect. cap. 14. quæst. 160. Castaldo in praxi Cæremon. lib. 1. sect. 10. c. 10. n. 11. Rubeo de Diuin. offic. lib. 1. c. 60.* videlicet Archiepiscopum translatum ad aliam Archiepiscopalem Ecclesiam
6 non posse vti pallio primæ Ecclesiæ, sed aliud petere debere, & expectare à Sede Apostolica.

7 Probatur primò; quod competit personæ contemplatione loci, cessat cessante loco; sed vsus pallij competit contemplatione loci, hoc est talis Ecclesiæ, d. *c. bonæ*; ergo cessante loco, cessat talis pallij vsus.

8 Probatur secundò, per cessionem loci priuilegiati, cessum censetur priuilegio. *c. ad supplicationem, de renunciat.* sed per translationem Prælati ceditur

pri-

primæ Ecclesiæ. *c. quantò, 7. de translat. Episcopi*; ergo cessum censetur etiã illius priuilegio: sed priuilegium vsus pallij est contemplatione talis Ecclesiæ; ergo per cessionẽ talis Ecclesiæ censetur cessum priuilegio vsus pallij eiusdem Ecclesiæ.

9 Probatur tertiò. Priuilegiũ concessum coniunctim personæ, & loco, cessat, altero eorum cessante per separationem ab
10 inuicem. *l. fin. C. de testam.* vbi rustico existente in Villa permittitur testari sine solemnitatibus, & testium numero, alias
11 requisitis à iure, secus extra. Idem militi conceditur existẽti in actu pugnæ. *l. miles, §. fin.*
12 *C. de testam. militis*, sed per translationẽ Archiepiscopi ad alium Archiepiscopatum cessat coniunctio Archiepiscopi cum prima Ecclesia. *c. licet, de translat. Episcopi*; ergo cessat per huiusmodi translationem priuilegium concessũ dicto Archiepiscopo ratione prædictæ suæ primæ Ecclesiæ; sed vsus talis pallij est concessus contemplatione prædictæ primæ Ecclesiæ; ergo cessat, cum per translationem Archiepiscopus separatur à prædicta Ecclesia.

13 Probatur quartò. Vnicuique Ecclesiæ Metropolitanæ competit palliũ indepẽdenter ab alia, sed solum dependenter à Sede Apostolica. *c. nisi, de auct. & vsu pallij*, vt supra probauimus; sed si posset Archiepiscopus deferre pallium primæ Ecclesiæ ad secundam Ecclesiam, illud non competeret indepẽdenter à prima Ecclesia, quia secunda reciperet à prima Ecclesia; ergo non potest illud secum deferre saltem quoad vsũ ad secundam Ecclesiam.

14 Probatur quintò. Pallium primæ Ecclesiæ censetur sepultum ab eo die, quo per translationem cessit Archiepiscopus primæ Ecclesiæ. *Io. Andr. in d. c. ad hoc, n. 3. & ibi Innoc.* ergo sublatum ab hominum cõmercio; ergo Archiepiscopus non potest illo vti in secunda Ecclesia.

15 Probatur sextò. Summus Pontifex in trãslatione Archiepiscopi ad aliam Ecclesiam Archiepiscopalẽ promittit transmittere pallium ad vsum, & nomen dictæ secũdæ Ecclesiæ. *c. bonæ 4. in fine, vbi glos. in verbo pallium, de postulat. Prælat.* ergo inde necessario sequitur, quod non possit Archiepiscopus secum deferre pallium primæ Ecclesiæ ad vsum secundæ: si enim posset, frustra promitteretur secundum palliũ; promissio autem præsupponit necessitatem in recepturo.

16 Probatur consequens, secunda Ecclesia habet sui Archiepiscopi prædecessoris pallium, & nihilominus non permittitur illius vsus; ergo multo minus

permittendus vſus pallij alterius Eccleſiæ; cum ſecunda Eccleſia maiorem connexionē habeat cum pallio ſui prædeceſſoris, quàm cum pallio alterius Eccleſiæ; ergo ſi ei non conceditur vſus pallij prædeceſſoris, multò minus alterius Eccleſiæ.

17 Probatur ſeptimò. Per receptionem pallij, quis conſtituitur in eſſe Archiepiſcopali, ita vt ante illius receptionem Archiepiſcopus quis appellari nequeat. *c. niſi, de auct. & vſu pallij*, ſed non poteſt quis conſtitui Archiepiſcopus, niſi determinatæ Eccleſiæ, per quam conſtitutionem fit ſpirituale coniugium inter determinatam Eccleſiam, & Archiepiſcopū; ergo per receptionē pallij conſtituitur Archiepiſcopus determinatæ Eccleſiæ; ergo per pallium primæ Eccleſiæ non poteſt translatus cōſtitui Archiepiſcopus ſecundæ Eccleſiæ; ergo eget nouo pallio, & non poteſt primo vti.

18 Ad primam rationem dubitandi in contrarium allatam, Reſpondeo primò. Pallium primæ Eccleſiæ ſequì palliatum vſque ad ſepulturam, prout in d. *c. ad hoc*; quia hoc communiter accidit, cum regulariter non ſoleat diſſolui matrimoniū ſpirituale initum inter Prælatum, & ſuam Eccleſiam. *c. inter, de translat. Epiſcopi*, & propterea textus intelligendus eſt loqui ſecundum illud, quod regulariter, & frequētiùs, nō autē quod raiò accidit: lex enim potiùs, & faciliùs adaptatur ad ea, quæ frequenter, & facilè, non autem ad ea, quæ raiò accidunt. *l. nam ad ea, ff. de legibus*.

19 Reſpondeo ſecundò cum *Io. Andr. & Innocen. in locis ſupra cit.* palliū primæ Eccleſiæ cenſeri ſepultum ab eo die, quo Archiepiſcopus per tranſlationem ceſſit dictæ Eccleſiæ, & ideo quoad illius vſum non præſumitur eſſe in rerum natura.

20 Ad ſecundum rationem reſpondeo Archiepiſcopum trāſlatum ad ſecundam Eccleſiā, ſtatim ac fuit eius poſtulatio cōfirmata à Sede Apoſtolica, vocari Archiepiſcopum electum ſecūdæ Eccleſiæ ante receptionem pallij, vt bene aduertit *Butrius in c. niſi, n. 6. de auct. & vſu pallij*, & ideo illius Eccleſiæ poſſe exercere aliqua iuriſdictionalia, prout in *noſtro textu, vbi gloſ. in verbo confirmaſſe, & c. tranſmiſſam 16. de elect.* non tamen inde ſequitur illum exercere poſſe Pōtificalia cum pallio, & ante receptionem noui pallij: nam primum fuit alligatum primæ Eccleſiæ, vt ſupra probauimus, & extra illam cenſetur ſepultum, & nullum habere vſum.

21 Ad

21 Ad tertiam rationem, Respondeo Archiepiſcopum extra ſuam Prouinciam non poſſe Pontificalia cum pallio exercere, niſi hoc ex peculiari priuilegio ſibi cōcedatur, *c. ex tuarum, vbi DD. communiter de auct. & vſu pallij*, ita etiam Archiepiſcopum translatum non poſſe vti pallio ſuæ primæ Eccleſiæ, niſi hoc ſpecialiter à Papa concedatur, *vt gloſ. in cap. bonæ, in verb. pallium, quam ſequūtur Butrius, & DD. communiter de poſtul. Prælat.* & ideo nihil concluditur contra noſtram ſētentiam, quæ loquitur excluſo priuilegio Pontificio, quod regulariter non ſolet concedi, & &ideo regulariter Archiepiſcopus translatus, ad aliam Eccleſiam Archiepiſcopalem debet petere, & expectare nouum pallium intuitu ſecundæ Eccleſiæ, & interim abſtinere à Pōtificalibus, & vſu primi pallij.

Ex præmiſſis collige, ſi Archiepiſcopus translatus ad aliā Eccleſiam, quæ habeat vſum pallij, non poteſt vti pallio primæ Eccleſiæ, multo minus poſſe, ſi transferatur ad Eccleſiam Epiſcopalem, quæ non habet vſum pallij.

22 Archiepiſcopus enim eo ipſo, quod transfertur ad Eccleſiam Epiſcopalem amittit vſum pallij, *c. ad ſupplicationē, de renūc.* cum priuilegium pallij ſit conceſſum perſonæ intuitu loci, & propterea per ſeparationem perſonæ à loco, perditur vſus pallij, *d. c. ad ſupplicationem*, & neceſſariò concludendum eſt Archiepiſcopum trāslatum ad ſedem Epiſcopalem, quæ non habeat vſum pallij, amittere illius primum vſum.

CAPVT XXX.

An Archiepiſcopus translatus ad aliam Eccleſiam, Archiepiſcopalem, vel Epiſcopalem debeat relinquere pallium in prima Eccleſia, vel illud ſecum deferre.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiſcopus translatus nō videtur ſecū deferre poſſe palliū.*

2 *Donata vxori intuitu mariti remanent apud maritum in diſſolutione matrimonij.*

3 *Licitum eſt arguere de matrimonio corporale ad ſpirituale.*

4 *Metropolitæ ſolum competit vſus pallij.*

 Vſus

5 *Vsusfructuarius non potest disponere de re vltra vsum.*
6 *Cessante vsu, cessat omne ius vsusfructuarij.*
7 *Vsus in pallio habet Ecclesia, non autem Metropolita.*
8 *In vna, eademque Prouincia nõ possunt esse duo Metropolitæ.*
9 *Archiepiscopus translatus potest secum deferre pallium primæ Ecclesiæ.*
10 *Iura personalia sequuntur personam.*
11 *Fiunt recipientis, quæ dantur pro oneribus sustinendis.*
12 *Fiunt mariti, quæ dantur illi ab vxore pro consequenda dignitate.*
13 *Pallium sepelitur cum cadauere Metropolitæ.*
14 *Ius Metropolitæ in pallio, neque per mortem dissoluitur.*
15 *Violenter spoliatus, restituendus.*
16 *Archiepiscopus translatus cum vtroque pallio sepeliendus.*
17 *Refelluntur argumenta contraria, & n. 18. cum sequen.*

CVm pallium cõcedatur personæ intuitu Ecclesiæ, insurgit difficultas, An Archiepiscopus translatus ad aliam Ecclesiam teneatur illud relinquere primę Ecclesiæ, vel potius possit illud secum deferre, etiamsi eius vsum amplius non habeat, vt supra probauimus.

1 Hic duas reperio opiniones, prima quod non possit secũ deferre, sed debeat palliũ relinquere primę Ecclesię, est *glos. in c. bonæ 4. in ver. pallium, de postulat. Prælat.* & probari posse videtur.

2 Primo. Quæ donantur vxori intuitu mariti, id est à propinquis mariti in dissolutione matrimonij remanẽt apud maritũ, *Bart. in l. 1. §. nec castrense, n. 9. ff. de collat. bonor. Surd. decis. 166. n. 5. Vinc. de Franc. decis. 503. n. 14. cum sequen.* ergo pari ratione, quæ cõcedũtur Archiepiscopo intuitu suæ Ecclesiæ, in dissolutione matrimonij spiritualis per translationẽ ad aliam Ecclesiã, debent remanere apud primã Ecclesiam, & non potest secum deferre; sed palliũ fuit datũ intuitu primę Ecclesię, ergo apud eam debet remanere, quãdo Archiepiscopus trãsfertur ad aliã Ecclesiam per dissolutionẽ matrimonij spiritualis cum prima sua Ecclesia; cum in vtroq; matrimonio sit eadem ratio, *c. inter corporalia de trãslat. Episc.* & propterea sit eadẽ iuris dispositio, *l. illud quæsitũ 32. ff. ad legẽ Aquiliam, l. à Titio 108. ff. de verbor. obligat.*
3 licitumq; sit arguere de matrimonio corporali ad spirituale, vt bene notat *Panor. in c. licet 4. de Translat. Episcopi, nu. 1.*

4 Probatur secundo, Metropolitæ competit solum vsus pallij ratione suæ Ecclesiæ; sed cui cõ-
5 petit solum vsus alicuius rei, non potest de illa disponere vltra vsum; ergo Metropolita non potest disponere de pallio

vltra vſum, ergo ceſſante vſu,
6 ceſſat omne ius, quod Metropolita habebat in pallio, *arg.l.omnium prædiorum, 3.ff.de vſufructu*, ergo non poteſt ſecum illud deferre ad aliam Eccleſiã. Quod autem ceſſet ius vtendi prædicto pallio per ſeparationem à dicta Eccleſia patet, ex *c.ad ſupplicationem, de renunc.* & fuit ſatis probatum ſupra; ergo debet illud relinquere primæ Eccleſiæ, cuius intuitu fuit conceſſum.

7 Probatur tertiò. Pallium cõpetit Metropolitæ ex ſuæ Metropolitanæ Eccleſiæ iure, ergo ius in pallio habet Eccleſia, non autem Metropolita; ergo Metropolita non poteſt recedens à dicta Eccleſia ſecum deferre, ſed debet relinquere Eccleſiæ, quæ in eo habet ius.

Probatur quartò. Si Metropolita translatus poſſet ſecũ deferre palliũ primę Eccleſię, ſequeretur, quod adhuc remaneret Metropolita dictæ Eccleſiæ; cũ regulariter, quis per palliũ conſtituatur in eſſe Metropolitico, *c.niſi, de auct. & vſu pallij*, & ſupra plenius probauimus, & cõſequenter in vna eademq; Pro-
8 uincia eſſent duo Metropolitę; ſed in vna eademque Prouincia non poſſunt eodem tempore eſſe duo Metropolitæ, *c.peruenit, diſt.* 101. ergo Metropolita translatus nõ poteſt ſecum deferre pallium primæ Eccleſiæ.

9 Contrariam ſententiam tenẽt *Pan.in c.2.n.7.vbi Anch.n.2.But.n.10.Innoc.Io.And.n.3.& alij de auct.& vſu pallij*, & Probatur.

10 Primò. Iura perſonalia ſequũtur perſonam vſque ad ad mortem, & cum ea extinguuntur, *c.priuilegium 7.de regul.iur.in 6. l.in omnibus cauſis 99. l.priuilegia quædam* 147.*ff.de regul.iur.* ſed pallium eſt ius perſonale *c.bonæ 4.§.fin.de poſtulat.Prælat.d.c.2.de auct. & vſu pallij*, ergo primæ Eccleſiæ pallium ſequetur Metropolitam, vſq; ad mortẽ, ergo non debet remanere in dicta Eccleſia.

11 Probatur ſecundò. quod datur pro oneribus neceſſariò ſuſtinendis, repeti non poteſt, ſed fit recipientis, *l.ſi quis pro vxore, ff.de donat.inter virum, & vxorem*, quia per id, quod debitum eſt, exſoluitur, *Rom. conſ.*146. *n.*2.*in ver.vera concluſio, Surd. deciſ.*166.*nu.*1. ſed pallium datur Metropolitæ pro neceſſariò ſuſtinendis oneribus ſuæ Eccleſiæ *c. niſi de auct. & vſu pallij, vbi DD. communiter*; ergo pallium repeti non poteſt ab Eccleſia, ſed fit Metropolitæ recipientis, illumque ſequitur.

12 Probatur tertiò. Quæ donantur ab vxore marito honoris, & dignitatis adipiſcendæ cauſa, fiunt mariti, & repeti nequeũt, *l.adipiſcendæ* 41. *vbi gloſ.ff. de donat. inter virum, & vxorem*, ergo quæ à prima Eccleſia vxore Metropolitæ, vt alia diximus,

K 2 dan-

dantur honoris, & dignitatis adipiſcendæ cauſa, fiunt Metropolitæ, & repeti non poſſunt, (valet enim argumentum à matrimonio corporali ad ſpirituale) ſed pallium datur ab Eccleſia, cui de iure competit vſus pallij, & illius Metropolitæ, honoris, & dignitatis Metropoliticæ adipiſcendæ *c. quod ſuper* 28. §. *ſuper eo, de electione, & d. c. niſi,* ergo palliũ fit Metropolitæ, & repeti à prima Eccleſia nõ põt.

13 Probatur quartò. Pallium debet cum cadauere Metropolitæ ſepeliri, *d. c. 2. §. fin. de auct. & vſu pallij, Caſtal. in Praxi Cærem. lib. 1. ſect. 10. c. 10. n. 13.* ergo etiam ſi extra ſuam Eccleſiam ſepeliatur, cum pallio eſt ſepeliendum; ergo neque ratione ſepulturæ competit primæ Eccleſiæ ius ad dictum pallium, ergo Metropolita poteſt illud, quo vult, deferre.

14 Probatur quinto Metropolitæ ius in pallio adeo eſt radicatum, vt neque per mortem, quæ regulariter omnia ſoluit, *Authen. de Nuptijs, §. deinceps,* poſſit illud ſolui, & propterea Metropolitæ cadauer illud ſibi vindicet ad ſepulturam, *d. c. ad hoc,* ſed durante iure, quod quis ha-

15 bet in re nõ põt illa re ſpoliari, & ſi violenter eaſpolietur, debet illi reſtitui, *c. 1. de reſtit. ſpoliat.* ergo Metropolita, neq; in vita, neq; in morte debet ſpoliari pallio: ergo poteſt illud ſecũ deferre quò vult, & non poteſt prima Eccleſia illud ſibi vendicare. Hanc ob cauſam, *DD. cõmuniter in d. c. ad hoc,* dicunt

16 Metropolitam translatum ad aliam Eccleſiam Metropoliticã debere in morte ſepeliri cum vtroq; pallio hoc ordine, videlicet, ſecundæ Eccleſiæ pallio ſuper veſtiatur illius cadauer, & ſub illius capite, vel ſupra corpus ponatur alterũ primæ Eccleſiæ. *Vide Innoc. Anchar. Butrium, Panor. & alios DD. hic.*

17 Ad argumẽta primæ ſentẽtię. Reſpõdetur, & primo ad auctoritatẽ gloſſe, quę pro dicta sẽtẽtia allegatur nihil probare, cũ requirat ipſa priuilegiũ D. Papę ad hoc vt Metropolita poſſit vti pallio ſui prędeceſſoris, quod ibi inuenietur, ideſt poſito quod ibi inueniatur, & hoc fit ad caſus figurationem, non tamen hinc ſequitur, quod ibi neceſſariò inueniendum ſit, & non potuerit translatus illud ſecum deferre.

18 Ad illud de donatis vxori à marito, & intuitu mariti, quod in diſſolutione matrimonij debeãt remanere apud maritũ. Reſpondetur primo. Propoſitionẽ nõ eſſe vniuerſaliter verã, nã anuli dati à marito in deſpõſatione ſuę vxori, mortuo marito remanẽt apud vxorẽ, *l. ſi quis pro vxore, verſ. de cõtrahẽdo matrim. & ver. noſtris onerib. ff. de don. inter virũ, & vxorẽ.* Idẽq. dicũt DD. ſupracit. pro prima ſententia

de

de vestibus donatis pro quotidiano vsu vxoris, & propterea non potest ex dicta propositione, quæ tot limitationes habet inferri, quod pallium debeat restitui primæ Ecclesiæ, & apud eam remanere.

19 Respondetur secundo, sicuti in matrimonio corporali, quæ donantur pro necessarijs oneribus restitui non debent; quia non videtur donari, sed potius quod debitum est, exsolui secundum prædictos auctores, ita etiam in matrimonio spirituali; cum pallium non donetur Metropolitæ, sed quod debitum ei est, ex soluitur, vt supra probauimus.

20 Ad secundum, Respondetur Metropolitæ competere vsum pallij in sua tantum Prouincia, non autem nudum vsum in pallio, sed peculiare etiam ius, & dominium, & propterea illius est Dominus etiam post mortē, vt supra probatum fuit; & circa illius vsum in sua Prouincia nō potest disponere vltra formam sui priuilegij, prout tota vis argumenti ad summum probat, adeo vt trāslatus ad aliam Prouinciam non possit illo vti: non tamen inde sequitur, quod non possit illud secum deferre, quando transfertur ad aliam Ecclesiam, quod nos volumus.

21 Ad tertium, Respondetur pallij vsum competere Metropolitæ ex suæ Metropolitanæ Ecclesiæ iure, idest illius intuitu, non autem ipsum pallium, quod est ei debitum ratione suæ Metropoliticæ dignitatis, & officij, *cap. nisi 3. de auct. & vsu pallij*, & ideo ius in pallio habet suæ dignitatis nomine, vsum vero illius à sua Metropolitana Ecclesia, vt supra probauimus.

22 Ad quartum, Respondetur non implicare in vna, eademq; Prouincia esse duos Metropolitas, videlicet vnum denominatiuè solum, alterum vero, & nomine, & re, idest iurisdictione, *cap. ad supplicationem, de renunciat.* quod non est contra allegatum *cap. peruenit*, vbi solum prohibentur duo Metropolitæ nomine, & iurisdictione in vna eademq; Prouincia simul atq; ita concludendum est Metropolitam translatum ad aliam Ecclesiam Patriarchalem, & Archiepiscopalem, seu Episcopalem posse, & debere secum deferre pallium primæ Ecclesiæ, vt cum eo sepeliatur, non autē ad alium vsum.

CAPVT XXXI.

Archiepiscopus translatus ad aliam similem Ecclesiam si postea inuitetur ad Pontificalia in prima Ecclesia, quo pallio vti debeat.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiscopus per translationē ad aliam similem Ecclesiam, non priuatur pallio, sed eius vsu.*

2 *Vsus pallij primæ Ecclesiæ interdicitur in secunda Ecclesia.*

3 *Concessa censentur, quæ non reperiuntur prohibita.*

4 *Inuitatus ad Pontificalia in prima Ecclesia videtur posse vti primo pallio.*

5 *Priuilegium alteri præiudiciale debet interpretari secundum, quod minimum est.*

6 *Vsus primi pallij minus præiudicium videtur inferre.*

7 *Vsus pallij in aliena Prouincia denotat dignitatem, non autem iurisdictionem.*

8 *Ad denotandam dignitatem ordinis non magis requiritur propria, quàm aliena vestis.*

9 *Archiepiscopus translatus non potest vti pallio primæ Ecclesiæ.*

10 *Primum pallium censetur sepultum.*

11 *Cessante causa finali cessat effectus.*

12 *Causa finalis vsus talis pallij est matrimonium spirituale cum tali Ecclesia.*

13 *Per translationem cessat matrimonium spirituale cum prima Ecclesia.*

14 *Priuilegium cessat cessante illius causa.*

15 *Priuilegium semel extinctum nō reuiuiscit.*

16 *Receptio talis pallij constituit Archiepiscopum talis Ecclesiæ.*

17 *Renuncians Ecclesiam Archiepiscopalem, cedit illius pallij vsui.*

18 *Mors naturalis, Renunciatio, translatio æquiparantur.*

19 *Vsus pallij extra Prouinciam pendet à priuilegio Ecclesiæ.*

20 *Archiepiscopus translatus non potest eodem pallio vti in vtraque Ecclesia.*

21 *Argumenta in contrarium adducta diluuntur, nu. 22. cum sequent.*

Præ-

PRæſuppoſito priuilegio exercendi Pontificalia extra Prouinciam, fuit quidam Archiepiſcopus inuitatus ad exercenda Pontificalia in prima ſua Eccleſia Metropolitana, vel eius Prouincia, de qua paulò ante translatus fuerat. Quæritur quonam pallio vti poſſit, primæ, an ſecundæ Eccleſiæ.

1 Ratio dubitandi eſt, quia per translationem non fuit ſpoliatus pallio primæ Eccleſiæ, ſed illius vſu, vt ſupra probauimus: habet priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam. Per requiſitionem moderni Archiepiſcopi reſtituitur vſus in dicta Prouincia; ergo poteſt ibi primo vti pallio.

2 Probatur ſecundò. Vſus pallij primo dictæ Eccleſiæ interdicitur Archiepiſcopo translato in ſecunda Eccleſia, non autem reperitur interdictus illius vſus in dicta prima Eccleſia

3 (poſito præallegato priuilegio) ſed quæ prohibita non inueniũtur, per legem conceſſa cenſentur, *l. necnon 28. vbi gloſ. in principio, & in §. quod eis, ver. prohibeant, ff. ex quibus cauſis maior. l. ſtatuas, C. de Relig. & ſumpt. funer.* ergo cenſetur conceſſus

4 vſus primi pallij in prima dicta Eccleſia, ergo Archiepiſcopus inuitatus poteſt cum ſuo primo pallio exercere Pontificalia in primo dicta Eccleſia.

5 Probatur tertiò, Priuilegium quod alteri præiudicium inferre poteſt, ſecundum quod minimum eſt interpretari debet. per *regulam, odia ſunt reſtringenda*, ſed priuilegium vtendi pallio in aliena Prouincia eſt præiudiciale, vt ſupra probauimus,

6 ergo ſecundum quod minimũ eſt debet interpretari: minus autem infertur præiudicium, ſi inuitatus vtatur pallio ſibi pro dicta prima Eccleſia collato, quam pro ſecunda obtento, vt patet; ergo poteſt vti primo pallio.

7 Probatur quartò. Vſus pallij in aliena Prouincia denotat ſolum dignitatem ordinis, non autem iuriſdictionem in dicta Prouincia, vt ſupra pluribus fuit probatum, ſed ad denotandam

8 dam dignitatem ordinis non eſt neceſſe, vt quis magis vtatur veſte eiuſdem ordinis, quæ ſit propria, quam aliena, vt in alijs indumentis, & veſtibus Archiepiſcopalibus, & Sacerdotalibus patet; ergo in aliena Prouincia non eſt neceſſe, vt Archiepiſcopus vtatur magis pallio ſecundæ, quam primæ Eccleſiæ, ergo poteſt vti pallio primæ Eccleſiæ, & ſecundum quamdam conuenientiam magis expedit, vt hoc vtatur, quàm eo ſecundæ Eccleſiæ.

9 Præmiſſis non obſtantibus dicendum eſt Archiepiſcopum translatum, & inuitatum ad exercenda Pontificalia in pri-

ma ſua Eccleſia Archiepiſcopali debere omnino vti pallio ſecundæ, non autem primæ Eccleſiæ.

Probatur primo, ex communi DD. ſententia, & præcipuè, *Io. Andr. in d. cap. ad hoc, num. 3. de auct. & vſu pallij, ibidem, Innocen. Butr. num. 10. Anchar. num. 2. in fine, Panor. num. 7. & Bel-*
10 *lamer*. Pallium primum cenſetur ſepultum ab eo die quo Archiepiſcopus ceſſit primæ Eccleſiæ, & propterea nequit amplius eo veſtiri etiam in ſepultura.

11 Probatur ſecundo. Ceſſante cauſa finali, ceſſat effectus, qui in duratione pendet ab illa, *cap. cum ceſſante 60. de appellat. cap. Magnæ 7. §. fin. de voto*, ſed
12 vſus talis pallij cauſa finalis eſt matrimonium ſpirituale cum tali Eccleſia, *cap. bonæ 4. §. fin. de poſtulat. Prælat. cap. licet 4. de translat. Epiſcopi*, ergo ceſſante matrimonio huiuſmodi cum tali Eccleſia, ceſſat talis pallij vſus, qui pendet ab eo in dura-
13 tione. Per translationem quidem ad ſecundam Eccleſiam adeo ceſſat matrimonium tranſlati cum prima Eccleſia, vt translatus quoad illam Eccleſiam cenſeatur mortuus, *cap. in apibus, §. ecce 7. q. 1.* ergo etiam ceſſat vſus talis pallij.

14 Probatur tertio, Priuilegium ceſſat, ceſſante cauſa priuilegij, *l. Athletæ, §. 1. ibi, quoad in præſidentatu, l. Geometræ ibi, donec curam gerunt, l. idem Vulpianus, ff. de excuſat. tutorum, l. Titia Seio, §. vſuras, & ibi gloſ. & Bart. ff. de legat. 2. l. filius à patre. §. 1. ibi, cum militare deſiiſſet, vbi Imola, Alexand. Iaſon. & Aretin. ff. de liberis, & poſthumis, Tiraquel in ſuo tractatu, ceſſante cauſa, nu. 210.* ſed priuilegium pallij competit Archiepiſcopo ob matrimoniũ cum ſua Eccleſia contractum, vt ſupra probauimus, ergo ceſſante dicto matrimonio, ceſſat etiam pallij priuilegium.

15 Probatur quarto, Priuilegiũ ſemel extinctum non reuiuiſcit *arg. l. qui res 98. §. aream, ff. de ſolut. l. ſi vnus 28. §. ſed ſi ſtipulatus, ff. de pactis, l. Meuius 68. §. duobus, ff. de legatis 2.* ſed per translationem ad ſecundam Eccleſiam fuit extinctum priuilegium vtendi primo pallio in prima Eccleſia, *d. cap. in quibus*, ergo non reuiuiſcit: ergo Archiepiſcopus translatus non poteſt vti priuilegio primi pallij in prima Eccleſia.

16 Probatur quinto. Per receptionem talis pallij quis conſtituitur Archiepiſcopus talis Eccleſiæ, cum per illud, & nomen, & iuriſdictionem Archiepiſcopalem in ea recipiat, *cap. niſi 3.*
17 *de auct. & vſu pallij*, ergo qui cedit nomini, & iuriſdictioni Archiepiſcopali talis Eccleſiæ, cedit, & illius pallij vſui, *arg. l. 2. ff. de iuriſdictione omnium iudi-*

dicum, vbi concesso principali, censetur concessum, quod in illius necessariam consequentiã venit; sed per translationem ad secundam Ecclesiam Archiepiscopus cessit, & nomini, & iurisdictioni primæ Ecclesiæ, quod est principale. *Rebuff. in praxi benefic. tit. de translat. Episcopi, n.16.* ergo censetur cessum vsui talis pallij, qui venit in necessariam consequentiam.

18 Probatur sextò. Mors naturalis, renunciatio, & translatio æquiparari videntur; ergo idẽ iuris est in vno, ac in altero, ita *Archid. in d. c. in apibus, nu. 7.* ergo sicut per mortem naturalem Archiepiscopus priuatur vsu pallij, ita per translationẽ priuatur vsu pallij primæ Ecclesiæ; ergo inuitatus ad Pontificalia exercenda in prima Ecclesia non potest vti primo, sed secundo pallio.

19 Probatur septimò. Archiepiscopus vel obtinuit priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam in secunda Ecclesia tantum, vel in vtraque; si in vtraque, iam priuilegium primæ Ecclesiæ cassum censetur per secundum in secunda Ecclesia obtentum ob rationes superius allatas; si in secunda tantum; ergo vigore priuilegij obtenti in secũda Ecclesia potest vti pallio extra Prouinciam; sed in priuilegio huiusmodi nõ comprehenditur nisi vsus pallij secundæ Ecclesiæ; ergo non potest vti pallio primæ Ecclesiæ.

20 Probatur octauò. Si Archiepiscopus translatus, & inuitatus posset vigore priuilegij vtẽdi pallio extra Prouinciam, vti pallio primæ Ecclesiæ in eadẽ Ecclesia, sequeretur, quod eodem pallio posset vti in secunda Ecclesia; habet enim vsum pallij extra Prouinciam, & secunda Ecclesia respectu primæ esset extra Prouinciam; ergo sicut posset illius vigore vti pallio secũdæ Ecclesiæ extra Prouinciam, ita etiam posset vti pallio primæ Ecclesiæ in secũda, quæ est extra Prouinciam primæ Ecclesiæ; sed hoc est absurdum, & contra sacros Canones; ergo vtrumque negandũ, & concludendum necessariò, quod Archiepiscopus translatus, & inuitatus ad exercenda Pontificalia in prima olim sua Ecclesia non potest vti primo, sed secundo pallio.

21 Ad argumenta in contrariũ allata Respondeo, & primò ad primum. Archiepiscopus translatus, fuit primi pallij vsu spoliatus à Sede Apostolica, cuius solum auctoritate est trãslatus. *c. 1. de translat. Episcopi*, & ideo per inferiorem, idest per Archiepiscopum nequit ad illum restitui; cum inferior non habeat ius in his, quæ superior fecit, *c. cum inferior, de maiorit.*

& obedien. Clem. ne Romani, de elect.

22 Secundò respondetur. Priuilegium vtendi pallio extra Prouinciam esse de secundo, non autem de primo, quod à die translationis sepultum censetur quoad vsum, vt supra dictum est.

23 Ad secundum eodem modo respondetur, vsum primi pallij vbique, non autem in secunda Ecclesia tantum prohiberi; cum nemini concedatur eodem tempore vsus duorum palliorum, vt per iura, & rationes superius allegata.

24 Ad tertium respondetur. Maius inferri præiudicium per vsum primi pallij, quam secundi primò dictæ Ecclesiæ, quia per primum reciperetur veluti suus Archiepiscopus, & ita denotarentur duo Archiepiscopi eodem tempore in eadem Ecclesia existentes, cum per illud Archiepiscopus translatus, fuerit primo dictæ Ecclesiæ Archiepiscopus olim constitutus, quod est contra sacros Canones, omnino præiudiciale, & odiosum.

25 Ad quartũ respondetur primò, vsum pallij non indicare solum dignitatem ordinis, verum etiam iurisdictionem, dicto *c. nisi*, cum hac distinctione, & differentia. In propria enim Prouincia denotat iurisdictionem ordinariam proprio iure competentem; in aliena vero subdelegatam, sibi ab Archiepiscopo loci subdelegatam, vt cum in aliena Prouincia de licentia eiusdẽ Metropolitæ quis ordinat proprios, vel alienos Clericos, consecrat, vel benedicit Ecclesias, vel Altaria, aliaque Pontificalia exercet: licentia enim præsupponit iurisdictionem concedentis in re, super qua conceditur. *c. quod translationem, de tempor. ordinat.* & hæc iurisdictio subdelegatur per huiusmodi licentiam, vt supra probauimus.

Secundò respondetur negãdo paritatem rationis; nam cætera vestimenta Archiepiscopalia, & Sacerdotalia permittuntur sibi inuicem commodari, præter pallium, quod expressè prohibetur commodari, d. *c. ad hoc, de auct. & vsu pallij*, & ideo argumentum ex paritate rationis nihil probat.



CAPVT XXXII.

Archiepiſcopus translatus ſi reſtituatur primæ Eccleſiæ, an recipere teneatur aliud pallium, vel potius primò receptum ſufficiat.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiſcopus translatus ſi reſtituatur primæ ſua Eccleſiæ non videtur egere nouo pallio.*
2 *Reſtitutio principali, cenſetur reſtitutum acceſſorium.*
3 *Reſtitutio eſt in priſtinum ſtatum repoſitio.*
4 *Conditio ſemel poſita non eſt innouanda.*
5 *Pallia inter ſe non differunt.*
6 *Pallium ornamentum Archiepiſcoporum.*
7 *Doctor, vel Canonicus non tenentur de nouo reiterare Profeſſionem fidei alias emiſsã.*
8 *Prælatus rediens ad eãdem Mitram, non tenetur reiterare iuramentum fidelitatis.*
9 *Archiepiſcopus reſtitutus primæ Eccleſiæ, tenetur petere, & recipere nouum pallium.*
10 *Matrimoniorum terminus eſt mors.*
11 *Per translationem terminatur matrimonium cũ prima Eccleſia.*
12 *Actio ſemel extincta, non reuiuiſcit.*
13 *Per translationem ceſſat prima prouiſio Eccleſiæ.*
14 *Noua prouiſio requirit nouum pallium.*
15 *Redeunti ad primam Eccleſiam tranſmittitur pallium.*
16 *Reſtitutio illegitimè ſpoliato, reſtituit rem, & fructus decurſos.*
17 *Reſtitutio propriè competit violenter ſpoliato.*
18 *Translatus abiurat primã ſuã Eccleſiam.*
19 *Corruit acceſſoriũ, ſublato principali.*
20 *Translatus per reſeruationem regreſſus non reſtituitur, ſed reuertitur ad primam Eccleſiam.*
21 *Diluuntur argumenta contraria, & num. 22. 23. 25.*
24 *Illatio ex diuerſis nihil probat.*

PRo huius difficultatis dilucidatione figuramus caſũ. Archiepiſcopus Theatin. auctoritate Apoſtolica trãslatus fuit

ad

ad Sedem Archiepiscopalem Cambaliensem post aliquot annos à Tartaris expulsus omnibusque redditibus expoliatus: hoc interi vacauit sedes Theatina per obitum illius Archiepiscopi, & D.Papa eam iterum contulit dicto Archiepiscopo Cambaliensi. Quæritur modo an teneatur iste de nouo electus Archiepiscopus Theatin. petere, & recipere pallium antequam Iurisdictionalia, & Pontificalia exerceat, ac se nominet Archiepiscopum Theatinum.

1 Pro parte negatiua videtur facere textus in *l.restituere 35. ff.de verborum significatione*, vbi dicitur, quod quando res alicui restituenda est, intelligitur etiã cum ea restituendum omne id, quod ex ea habiturus fuisset, vt *glos.ibi in ver causam*, ergo Archiepiscopo restituto suæ primæ Ecclesiæ per huiusmodi restitutionem censetur, & restituta Ecclesia, & primi pallij vsus, qui indè necessariò con-
2 sequitur. cum restituto principali censeatur restitutum accessorium, *l.2. ff. de iurisdictione omnium iudicum*.

3 Secundò probatur. Restitutio est in pristinum statum repositio, *l.1. de sent. pass.* & propterea tantum debet dare restitutio, quantum abstulit spolium, *l.quod si minor, §.restitutio, ff.de Minoribus*, ideo, si Archiepiscopus restituitur primæ Ecclesiæ, censetur in omnibus, & per omnia repositus in pristinum statum; sed prius habebat pallium receptum intuitu dictæ Ecclesiæ, eiusque ibi vsum, ergo censetur restitutus etiam ad primi pallij vsum, ergo non eget nouo pallio.

4 Tertiò probatur. Pallium est quædam plenitudo Pontificalis dignitatis, & veluti conditio requisita necessariò ad hoc, vt Prælatus ea munera obeat, quæ sunt potestatis ordinis, & conditionis, sed hæc conditio fuit iam semel posita, ergo non est necesse, vt iterum innouetur.

5 Quartò probatur. Vnum palliũ nihil in se continet, quod aliud non contineat, cum in illis datur eadem materia, forma, & benedictio in ordine ad eamdẽ iurisdictionem Archiepiscopalem, ergo qui vnum obtinuit, alio non eget.

6 Quintò probatur. Pallium est ornamentum Archiepiscoporum, sed si Archiepiscopus ad primam sedem rediens habeat sua Pontificalia ornamenta integra, & illesa, non est necesse, vt alia noua sibi comparet, ergo idem dicendum de pallio.

7 Sextò probatur. Doctor, vel Canonicus semel emissa publica fidei Professione in receptione Doctoratus, vel Canonica-
8 catus, non tenetur de nouo illam emittere, & Prælatus rediẽs

ad

ad eamdem Mitram non tenetur ad reiterandum fidelitatis iuramentum, *Sanchez in Decalogo, lib.2.cap.5. n.6. Azor. instit. moral. to.2. lib.7.c.2.q.8. Nauar. cons.3. de sum. Trinit.* ergo idem dicendum de pallio.

9 Pro parte vero affirmatiua, quod videlicet teneatur petere & recipere nouum pallium, & non possit primo vti, facit.

10 Primo textus *in authen. de Nuptijs, §. deinceps*, vbi dicitur matrimoniorum terminum esse mortem, quæ omnia soluit, & cum per translationem mors translati censeatur quoad Ecclesiam, à qua quis transfertur. *c.in apibus, §. ecce 7. quæst.1.*

11 ergo per dictam translationem censetur terminatum, & finitũ matrimoniũ dictæ Ecclesiæ cũ translato, & cõsequutiuè soluta omnia alia, quæ inde proueniunt. *l. si erit in annos 3. ff. quibus modis vsusfructus amittitur.*

12 Probatur secundò. Actio semel extincta, nõ reuiuiscit. *l. qui res 98. §. areã, ff. de solut. l. Meuius 68. §. duobus, ff. de legat. 2.* sed actio vtendi pallio primæ Ecclesiæ fuit extincta per translationem ad secundam Ecclesiã, *d. c. in Apibus*; ergo non potest per reditum ad primam Ecclesiam reuiuiscere; ergo Archiepiscopus eget nouo pallio.

13 Probatur tertiò. Archiepiscopus rediens ad primam Ecclesiam, vel hoc facit vigore primæ prouisionis sibi de ea per Sedem Apostolicam factæ, vel nouæ, quæ non habeat dependentiam à prima. Primum dici non potest; quia per translationem ad secundam eo ipso cessat, & vacat prima Ecclesia; cum sit incompatibilis cum secunda. *c. quia nonnulli 3. de Cleric. non residen. c. multa, de præben. c. vnum 21. quæst.1.* ergo necesse est, vt faciat vigore nouæ prouisionis à Sede Apostolica denuò obtentæ; sed vigore nouæ prouisionis tenetur petere nouum pallium à Sede Apostolica. *c. bonæ 4. in fine, de postul. Prælat.* nisi super hoc specialiter dispensetur, vt dicit *glos. in ver. pallium*; ergo non potest vti pallio primo pro eadem Ecclesia ante translationem accepto. Atque ita concludendum est cum *Roderico à Cuncha in suo Commentario ad c. pallium, dist. 100.* Archiepiscopum trãslatum redeuntem ad primam Ecclesiam debere recipere nouum pallium, antequam se iterum nominet Archiepiscopum, & exerceat iurisdictionalia eiusdem Ecclesię,

15 (quod tamen pallium in ipsa fere translatione non expectata palliandi forti petitione solet ad illum transmitti) vt colligitur ex *d. c. bonæ, in fine*, per illa verba: *A vinculo quo tenebatur Colocen. Ecclesiæ absoluentes, ad Metropolim Strigonien. trans-*

transferimus, & licentiam tribuimus transeundi, pallium ei ad nomen, & vsum eiusdemque Ecclesiæ transmissuri.

16 Ad argumenta in contrariũ allata respondetur, & primo ad textum in *l. restituere*, respondetur ibi loqui de restiturione facienda illegitimè spoliato, cui, & res, & rei fructus decursi restituendi sunt, vt ex ipsismet verbis textus patet, ibi, *qui simul rem, & causam actori reddit, quam is habiturus esset, si statim iudicij accepti tempore res ei reddita fuisset*, secus est in casu nostro, cum per translationem liberè, spontè, & canonicè trãslatus cesserit primæ Ecclesiæ.

17 Ad secundum respondetur. Archiepiscopum lato modo, & non propriè restitui primæ Ecclesiæ, quia de nouo prouidetur de dicta Ecclesia, & ideo nouæ prouisionis litteræ expediuntur, quod non esser, quando per vim spoliatur Ecclesia, & illi restituitur: restitutio enim propriè competit rei violenter spoliato. *c. grauis 11. de restit. spoliat.*

18 Secundò respondetur. Archiepiscopo translato nõ competere restitutionẽ primæ Ecclesiæ, quam in ipso actu translationis abiurauit. *c. accepta 3. de restit. spoliat.* & ideo neque competunt ea, quæ restitutionem sequuntur, cum corruat

19 accessorium, sublato principali, à quo illum dependet. *l. cum principalis, vbi Dec. ff. de regul. iur. Surd. cons. 318. n. 5. & DD.*

20 *communiter*, secus esset quando Ecclesia resignatur cum regressu, adeo vt resignans reuertatur ad illam, casu quo resignatarius soluere recusaret pensionem desuper ad fauorem resignantis reseruatam, quia per huiusmodi regressum reseruantur primæua iura resignantis, ne in totum extinguantur, & ideo datur restitutio in hoc casu, ita *Rebuff. in praxi benefic. in tit. de regressibus.*

21 Ad tertium respondetur negando minorem, quia conditio primi pallij non perseuerat integra, sed fuit extincta per trãslationem, & non reuiuiscit, & propterea opus est nouo pallio.

22 Ad quartum respondetur. Argumentũ nihil penitus probare; si enim aliquid probaret, necesse esset fateri vnum, & idẽ pallium posse inseruire omnibus, & singulis Ecclesijs Patriarchalibus, Archiepiscopalibusque, &c. quod tamen est absurdum, & contra sacros Canones: licet enim in omnibus pallijs sit eadem materia, forma, & benedictio, immo etiam si sit aliquod pallium destinatũ in ordine ad aliquam Ecclesiã, attamen, nisi sequatur actualis cõsignatio, & traditio nihil destinatio suffragatur; quia palliũ

totam

totam suam vim, & potestatem recipit à sui consignatione, & traditione actuali, ac propterea cum primũ pallium fuerit consignatum, & traditum in ordine ad primam Ecclesiam, & pro consecutione illius, non autem pro secunda Ecclesia, non potest Archiepiscopus eo vti, sed tenetur nouum petere, nisi ex dispensatione sibi concedatur vsus primi, vt ex *glos. supra cit. in c. bona*.

23 Ad quintum respondetur, negando, quod pallium sit simplex ornamentum Archiepiscopi, sed est quid essentiale Archiepiscopalis dignitatis, denotans dignitatem, & iurisdictionem tradens in Ecclesia, & Prouincia, quarum intuitu est traditum. *c. nisi, de auct. & vsu pallij*; quæ non potest præstare primum, & antiquum pallium in secunda Ecclesia per iura supra allegata, & ideo comparatio, & illatio in argumento adductæ nihil probant.

24 Ad sextum respondetur nihil probare illationẽ ex diuersis factam. *l. fin. in fine, vbi Bart. ff. de calumniat. l. Papinianus exuli, vbi etiam Bart. ff. de minoribus, l. inter stipulantem, §. sacram, ff. de verborũ obligat. Soc. Sen. cons. 18. n. 41. vol. 1. & DD. communiter*.

25 Secundò respondetur. Quicquid sit de Professione fidei, & Iuramento fidelitatis, quæ semel emissa non sit necesse reiterari; attamen cum agatur de iurisdictione communicanda, quæ dependet à communicantis intentione, debemus attendere D. Papæ intentionem, quæ est, vt in nouis prouisionibus nouum petatur pallium, vt supra ostendimus.

CAPVT XXXIII.

An Archiepiscopus possit ordines conferre, & consecrare suos Suffraganeos sine pallij delatione recepti à Sede Apostolica.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiscopus non potest conuocare Concilium, neque conficere Crisma ante pallij receptionem.*

2 *Collatio ordinum, & consecratio Suffraganeorum videtur fa-*

facienda cum delatione pallij.
3 *Ex pallio oritur iurisdictio.*
4 *Priuilegium vsus pallij extra Prouinciam conceditur pro Suffraganeis consecrandis.*
5 *Archiepiscopo renuncianti loco conceduntur Pontificalia sine pallio ex priuilegio.*
6 *Priuilegium præsupponit impotentiam faciendi.*
7 *Verbum, debet, importat obligationem.*
8 *Archiepiscopus sine delatione pallij potest conferre ordines, & consecrare Suffraganeos sine pallio.*
9 *Corruptela est; in aliena Prouincia Pontificalia exercere cum pallio.*
10 *Priuilegium est, in aliena Prouincia consecrare Suffraganeos cum pallij delatione.*
11 *Delatio pallij non requiritur ratione potestatis in consecrãdis Suffraganeis.*
12 *Ad consequendam iurisdictionẽ Archiepiscopalem requiritur receptio pallij.*
13 *Iurisdictio semel obtenta retinetur animo.*
14 *Delatio pallij competit ex priuilegio.*
15 *Archiepiscopi titulares sæpius hic Romæ consecrant Episcopos sine delatione pallij.*
16 *Traditio, & acceptio pallij spectant ad iurisdictionem Archiepiscopalem recipiendam.*
17 *Actualis vsus pallij spectat ad ornatum.*
18 *Tertia sententia arguit conferre ordines sine delatione pallij, sed non inualidat.*
19 *Archiepiscopus quoad ordinis potestatem est idem, ac simplex Episcopus.*
20 *Conciliantur argumenta, & rationes præcedentium sententiarum.*
21 *Arguitur Archiepiscopus Rauennaten. quia semper vtebatur pallio sine limitatione.*
22 *Pallium primariò conceditur dignitati, & secundariò personæ.*

1 CVm Archiepiscopus non possit ante pallij receptionem conuocare Conciliũ, neque Crisma conficere, neque dedicare Ecclesias, neque Clericos ordinare, neque Episcopos consecrare, neque Pontificalia exercere, quamuis sit consecratus Episcopus. *c. quod sicut* 28. §. *super eo, de elect. vbi Io: Andr. n.* 1. *Anchar. in c. Suffraganeis, in fine, eodem tit. de elect. & DD. communiter*, ideo dicendum videtur ipsum non posse ordinare Clericos, & Suffraganeos consecrare sine delatione pallij.

2 Probatur primò ordines cõfert, & consecrat suos Suffraganeos, vt Archiepiscopus; ergo debet deferre pallium, cum ex pallio dignoscatur Archiepiscopus ab Episcopo; ergo non potest consecrare absque pallio.

3 Pro-

3 Probatur secundò. Ex pallio oritur iurisdictio d. *c. nisi*, sed ordinare Clericos, & consecrare Suffraganeos est actus iurisdictionis; ergo ordinatio, & consecratio debet fieri cum delatione pallij; ergo Archiepiscopus debet ordinare, & cõsecrare cum pallio.

4 Probatur tertiò. Priuilegiũ vtendi pallio extra suam Ecclesiam solum conceditur pro Suffraganeis consecrandis, & Clericis ordinandis. *c. ex tuarum, de auctor. & vsu pallij*; ergo consecratio Suffraganeorũ, & ordinatio Clericorum debet fieri cum delatione pallij; ergo non potest fieri sine pallio.

5 Probatur quartò. Archiepiscopus renuncians loco, & non dignitati ex priuilegio potest Pontificalia exercere sine pallio. *c. ad supplicationem, de renunciat.* ergo qui non renunciauit loco, nequit exercere

6 Pontificalia sine pallio. Priuilegium enim præsupponit impotentiam faciendi, quod solum ex priuilegio fieri potest, alias non esset priuilegium. *cap. Abbate, §. contra quod, de verborum signif. c. in his, in fine, de priuileg. c. fin. §. quamquam 25. quæst. 1.*

7 Probatur quintò ex *c. 1. & c. ad honorem, §. alij autem, de auct. & vsu pallij*, vbi vsus pallij concessio cõcipitur per verbum, quod de sui natura importat obligationem, quale est, vti debet, quod inducit obligationem, & necessitatem: *c. proposuit 25. §. super quo, vbi glos. in verbo, non debet, & cap. oblatæ 57. §. licet, de appellat. l. si quis ex Argentarijs 6. §. cogentur, ff. de edendo*; ergo Archiepiscopus in consecrandis Episcopis, & Clericis ordinandis debet gestare pallium.

8 Contrariam tamen sententiã existimo veriorem, & tenendã, videlicet Archiepiscopũ posse sine delatione pallij ordinare Clericos, & consecrare Suffraganeos, &

9 Primò adducor ex *c. ex tuarum præcit.* vbi corruptela declaratur Pontificalia ab Archiepiscopo exerceri in aliena Prouincia cũ pallij delatione; ergo licitũ est Archiepiscopo exercere Põtificalia sine pallij delatione; ergo Archiepiscopus potest ordinare Clericos, & Suffraganeos consecrare sine pallij delatione.

10 Secundò adducor ex eodem textu, vbi indulgetur Archiepiscopo, vt in aliena Prouincia possit consecrare Suffraganeos cum pallij delatione; ergo cessante huiusmodi priuilegio potest illos consecrare sine pallij delatione; ergo non est coactus ad consecrandos Suffraganeos gestare pallium; si enim esset coactus, nullo modo posset cõsecrare Suffraganeos extra Pro-

L uin-

uinciã absque priuilegio, quod tamen non præsupponitur in textu; cum ibi solum priuilegiũ respiciat delationem pallij.

11 Tertiò adducor, quia delatio pallij in cõsecratione Suffraganeorum non requiritur ratione potestatis ordinis, neque iurisdictionis. quod non requiratur ratione ordinis, patet, quia Episcopi Suffraganei possunt consecrare suum Archiepiscopum, & alios Episcopos. *c. si Archiepiscopus 6. c. ne Episcopi 7. de tempor. ordinat.* ergo de essentia consecrationis quoad ordinis potestatem non est actualis delatio pallij; ergo sine illo potest fieri; multò minus requiritur ratione iurisdictionis, quia ad
12 consequendam iurisdictionem solum requiritur receptio pallij, non autẽ illius delatio actualis, d. *c. nisi,* & iurisdictio semel
13 obtenta retinetur animo, non autem actuali pallij delatione; alias sequeretur, quod Archiepiscopus deberet, vel semper illud deferre ad retinendam, & exercendam Archiepiscopalẽ iurisdictionẽ; quod à sacris Canonibus omninò prohibitũ est Archiepiscopis, sed solum concessum pro præscriptis diebus, ac locis: vel inter medio tẽpore, quo non potest gestare pallium, desineret esse Archiepiscopus ob defectum iurisdictionis, cum deponendo pallium sub capsulæ custodia etiam ibi sub custodia deponere cogeretur iurisdictionem: & casu quo deperditur pallium, deperdatur, & iurisdictio, quod asserere ridiculum est.

14 Probatur quartò. Delatio pallij in functionibus locis, & diebus præscriptis cõpetit Archiepiscopis ex priuilegio. *cap. fin. de auct. & vsu pallij;* ergo de iure non cõpetit; ergo Archiepiscopus, vt Archiepiscopus de iure potest consecrare Suffraganeos absque pallij delatione.

15 Probatur quintò. Archiepiscopi titulares in partibus infidelium, & alij de mandato Sanctissimi sæpius hic Romæ consecrant Episcopos, & alibi de licentia Ordinariorum ordinãt Clericos sine delatione pallij; ergo ad consecrationẽ Episcoporũ, & Clericorũ ordinationẽ non requiritur delatio pallij.

16 Probatur sextò. Traditio, & acceptio pallij spectant ad iurisdictionem Archiepiscopalẽ
17 recipiendã, d. *c. nisi,* illius vero actualis vsus, ad ornamentum. *c. contra morem, §. decorasti, & c. rationis ordo, dist. 100.* sed quæ ad ornamentum spectant, non sunt necessaria ad iurisdictionalia exercenda; cum ornamentũ non constituat rem, quã ornat, sed eam iam præsupponat cõstitutã; ergo actualis vsus pallij non est necessarius ad exercenda iurisdictionalia, d. *c. ex tuarũ;* ergo

ergo Archiepiſcopus poteſt cõſecrare Suffraganeos,& ordines conferre ſine actuali vſu pallij.

18 Tertia ſententia eſt aliorum, qui exiſtimant poſſe ab Archiepiſcopo cõſecrari Suffraganeos & Epiſcopos, necnon ordines conferri,ſed non debere abſque actuali delatione pallij.his præcipuè nituntur fundamentis.

19 Primò.Quia Archiepiſcopus quoad ſpiritualem poteſtatem ordinis, & Pontificiã dignitatẽ eſt idem,ac ſimplex Epiſcopus, ſolum differunt ſicut excedẽs, & exceſſũ in iuriſdictionalibus. *c.1.diſt.99.c.Nouatianus 7.q.1. Barboſ. de iure Eccleſ. lib.1.c.6. n.4. & DD. cõmuniter:* & ſicut ſimplex Epiſcopus, qui nõ habet vſum pallij, validè cõſecrat alium Epiſcopũ, ita etiam Archiepiſcopus,ſed tantũ illicitè, ideſt non licito,& ſuæ dignitati competentl modo; cum non vtatur eo ornatu,quem requirit eius dignitas, & ſacri Canones præſcribunt, videlicet actuale delatione pallij, quod eſt pe-

20 culiare inſigne Archiepiſcoporum,vt ſupra probauimus, & in hoc ſenſu intelligunrur argumẽta pro prima ſentẽtia allata.

Secundæ vero ſententiæ rationes fauent validitati actus conſecrationis Suffraganeorũ, & ordinũ collationis ſine actuali vſu pallij factarum,& licet videantur magis obſtare. *c.primũ, & c.ad honorem,ſupracitata*, in quibus D. Papa vtitur in pallij traditione verbis, quæ inducũt de ſui natura obligationem, videlicet, vti debes, attamen ſi verba benè perpendantur,non obligant, & cogunt ad pallij vſum ſimpliciter, ſed ad non illius vſum in diebus, locis, & functionibus non expreſſis in priuilegio, vt apertè colligitur ex *c.contra morem,diſt.*100. vbi arguitur Archiepiſcopus Rauẽ-

21 nat.qui abſque limitatione ſẽper vtebatur pallio, eique dicitur non debere vſum pallij ad alia loca,dies,& functiones non præſcripta in priuilegio,& contra cõſuetudinem vniuerſalem Eccleſiæ extendere, atque ita prædictorum verborum ſenſus eſt, vt Archiepiſcopus, ſi velit licitè frui pallij priuilegio, debeat illo vti ſolum in functionibus, diebus, & locis, ſibi in priuilegio præſcriptis.

22 Secundò probatur, hæc tertia ſententia. Vſus pallij primariò conceditur dignitati, & ſecundariò, perſonæ, d. *c. niſi*, & ideo Archiepiſcopus non poteſt renũciare priuilegio ſuæ dignitatis, non vtendo pallio, quando dignitas exigit, vt eo vtatur, prout exigit in conſecratione Suffraganeorum,& ordinatione Clericorũ. ſicut nec Clericus poteſt renunciare beneficio Canonis,ſi quis ſuadente,conceſſo ad fauorem clericatus, & ſi renunciat, illicitè re-

nunciat, & propterea debet, non ratione validitatis actus, sed ratione suæ dignitatis vti pallio in consecratione Suffraganeorum, & ordinatione Clericorum, &c.

CAPVT XXXIV.

An Episcopus, cuius Ecclesia de nouo erigatur in Archiepiscopatum, possit statim erectionis litteris expeditis se appellare Archiepiscopum, & prosequi Pōtificalia ante receptionem pallij.

SVMMARIVM.

1 *Gabriel Cardinalis Paleottus Episcopus Bononien. promouetur ad Archiepiscopatū eiusdem Ecclesiæ.*

2 *Non videtur potuisse prosequi, Pontificalia ante pallij receptionem.*

3 *Ecclesia fit Archiepiscopalis statim expeditis litteris.*

4 *Gratia per appositionem, Fiat, perficitur.*

5 *Ad erectionem Ecclesiæ in Archiepiscopatum eius Prælatus erigitur in Archiepiscopum.*

6 *Episcopus translatus per postulationem ad sedem Archiepiscopalem non potest se appellare Archiepiscopum ante pallij receptionem.*

7 *Archiepiscopus trāslatus ad aliā similem Ecclesiam non potest exercere Pōtificalia ante noui pallij receptionem.*

8 *D. Cardinalis Paleottus potuit prosequi, vt prius Pontificalia ante pallij receptionem.*

9 *Electus Archiepiscopus, per pallium recipit nomen Archiepiscopi, & plenitudinem potestatis.*

10 *Ecclesia erecta in Archiepiscopatū recipit nomen Archiepiscopale per pallij receptionem.*

11 *In correlatiuis, dispositū in vno trahitur ad alterum.*

12 *Per litterarum expeditionem solum acquiritur ius petendi pallium.*

13 *Ius quæsitum fortius quærendo.*

14 *Facilius impeditur ius quærendum, quàm tollatur ius quæsitum.*

15 *Dignitatis augmentū non mutat substantiam personæ.*

16 *Substantialia Episcopi sūt exercere posse Pontificalia.*

17 *Per,*

17 *Per erectionem Ecclesiæ in Archiepiscopatum nõ dissoluitur spirituale matrimonium cum suo Prælato.*

18 *Gratis dicitur, quod non reperitur expressum.*

19 *Refelluntur argumenta contraria, & num. 20. cum seq.*

24 *Ecclesia Episcopalis erecta de nouo in Archiepiscopatum, nõ fit Archiepiscopalis ante pallij receptionem.*

1 D. Gabriel Cardinalis Paleottus de anno 1580. præerat Ecclesiæ Episcopali Bononieñ, quam f. m. Gregorius XIII. in Archiepiscopatũ erexit, expeditis litteris huiusmodi erectionis anno 1582. iv. Idus Decembris, antequam reciperet palliũ, quæritur An dictus D. Cardinalis Episcopus potuisset se appellare Archiepiscopum, & exercere Pontifi-
2 calia in quatuor tẽporibus eiusdem mensis, & anni; videtur non potuisse, &

3 Probatur primò. Expeditis litteris erectionis in Archiepiscopalem Ecclesiam, eo ipso Ecclesia fit Archiepiscopalis;
4 nã gratia, statim atq. D. Papa apposuit, Fiat, supplicationi, est pfecta. *c. quisquis, vbi Cald. de elect. Felin. in rubr. de Constit. & in c. Rodulphus, n. 26. de rescriptis, Rebuf. in praxi sua Benefic. in cap. de secunda parte signat. n. 25.* In casu autem nostro D. Papa apposuit, Fiat, supplicationi, quia eius vigore, & secundum eius tenorem fuerant expeditæ litteræ; ergo gratia erectionis in Archiepiscopalẽ est perfecta; sed Ecclesiæ Archiepiscopali non potest esse sponsus Episcopus remanens Episcopus; ergo Episcopus remanens Episcopus nõ potest se appellare Archiepiscopũ, & prosequi exercere Põtificalia ante pallij receptionẽ in dicta sua Ecclesia, iã effecta Archiepiscopali.

5 Probatur secundò. Ecclesia Bononieñ est erecta in Archiepiscopatum; ergo etiam Episcopus dictæ Ecclesiæ in Archiepiscopum, sed erectus in Archiepiscopum non potest se appellare Archiepiscopum, & exercere Põtificalia in sua Ecclesia ante pallij receptionem, d. *c. cum sis*; ergo dictus D. Cardinalis non potuit se appellare Archiepiscopum, & prosequi Põtificalia ante pallij receptionem.

6 Probatur tertiò. Episcopus per postulationem trãslatus ad Archiepiscopalem Ecclesiam, nõ potest se appellare Archiepiscopum, & exercere Pontificalia in dicta Ecclesia ante pallij receptionem; ergo neque Episcopus translatus ad dignitatem Archiepiscopalem per erectionem suæ Ecclesiæ in Archiepiscopatũ, cum in vtroque militet eadem ratio.

7 Probatur quartò. Archiepiscopus translatus ad aliam Ecclesiam Archiepiscopalem non potest in secunda Ecclesia exercere Pontificalia ante pallij receptionẽ; ergo multò minùs potest Episcopus in sua Ecclesia iam erecta in Archiepiscopatum.

8 His tamen non obstantibus contrarium decidendum existimo, videlicet potuisse D. Cardinalem prosequi exercere Põtificalia, vt Episcopum in Ecclesia Bononień ante pallij receptionem, ad hoc moueor.

9 Primò. Quia electus Archiepiscopus non recipit nomen Archiepiscopi, & plenitudinẽ Archiepiscopalis officij, donec recipiat pallium, d. *c. cum sis*; ergo neque illius Ecclesia de nouo erecta in Archiepiscopatum; ergo remanentibus ambobus in suo statu Episcopali, potuit D. Cardinalis prosequi Pontificalia, vt prius.

10 Antecedens patet, consequens probatur. In receptione pallij confertur nomen, & plenitudo Archiepiscopalis officij, d. *c. cum sis*; ergo Ecclesia antequam recipiat mediante suo sponso pallium non habet nomen Archiepiscopale, nec plenitudinẽ Archiepiscopalis officij, sicut eius sponsus;

11 ergo remanent in suo statu episcopali: in correlatiuis enim, quod est dispositũ in vno, trahitur ad alterum. *l. fin. ff. de acceptilat. l. fin. C. de indict. viduit. tollen. l. 1. C. de transact. Couar. in c. Raynutius, §. 3. nu. 6. de testam.* ergo D. Cardinalis potuit, vt prius prosequi Pontificalia.

12 Probatur secundò. Per litterarum erectionis in Archiepiscopatum expeditionem solum cõceditur ius legitimè petendi palliũ; ergo non traditur pallium; ergo non traditur nomẽ Archiepiscopale cum plenitudine Archiepiscopalis officij, quæ sequuntur pallij traditionem, vt supra probatum fuit; ergo per simplicem litterarum expeditionem Ecclesia Bononień non constituitur in statu Archiepiscopali; ergo D. Cardinalis potuit, vt prius prosequi Pontificalia.

13 Probatur tertiò. Ius quæsitum est fortius iure quærendo. *l. si ita scriptum, §. 1. & l. si ita scripsisset, ff. de legat. 2.* Ius autem Episcopale in D. Cardinale est ius quæsitum, & ius Archiepiscopale est ius quærendum; ergo ius Episcopale in D. Cardinale est fortius iure

14 Archiepiscopali: & eo magis, quia ius quærendũ facilius impeditur, quàm tollatur ius quæsitum, vt optimè probant *Card. Tuscus tom. 3. litt. F. conclus. 12. nu. 7. & Alex. cons. 196. incip. Visis n. 5. lib. 7.* & propterea facilius impeditur allegata præten-

tentio iuris Archiepiſcopalis quærendi, quam tollatur in D.Cardinale Epiſcopo ius Epiſcopale quæſitum, & conſecutiuè exercitium Pontificalium in ſua Diœceſi.

15 Probatur quartò. Dignitatis augumentũ non mutat ſubſtantiam perſonæ. *l.penult. ff. de Senat. Panorm. in c.ſuper eo, n.14. de officio Iudicis deleg.* ſed erectio Epiſcopatus in Archiepiſcopatum eſt dignitatis augumentum; ergo non mutat ſubſtantiam perſonæ; ergo erectio in Archiepiſcopatum non

16 mutat ſubſtantialia in Epiſcopo, ſed ſubſtantialia in Epiſcopo eſt poſſe exercere Pontificalia in ſua Eccleſia Epiſcopali. *c. tranſmiſſam* 15. *in fine, vbi gloſ. in ver. de talibus, de elect.* ergo Epiſcopus elatus in Archiepiſcopum eiuſdem ſuæ Eccleſiæ poteſt ante pallij receptionem exercere Pontificalia in ſua Eccleſia elata ad Archiepiſcopatum.

17 Probatur quintò. Per erectionem Eccleſiæ in Archiepiſcopatum non diſſoluitur ſpiritualis matrimonij vinculum, quod fuit inter Epiſcopum, & Eccleſiam contractum per electionem, & conſummatum per conſecrationem; ergo remanẽt intacta iura inde prouenientia; ergo ſicut D.Cardinalis prius poterat ex proprio iure exercere Pontificalia in dicta ſua Eccleſia, ita etiam poſtea, ante receptionem pallij.

18 Probatur ſextò. In litteris erectionis ſuæ Eccleſiæ non reperitur expreſsũ, quod D.Cardinalis ſuſpenſus remaneat ab exercitio Pontificalium vſque ad receptionẽ pallij; ergo gratis dicitur non poſſe.

19 Ad argumenta in contrariũ allata reſpondeo, & primò ad primum. Per appoſitionem, fiat, in ſupplicatione gratia eſt perfecta, quoad D.Papam concedentem, non autem quoad impetrantem. Ex parte enim impetrantis requiritur ad gratiæ perfectionẽ, & conſummationem poſſeſſio rei, quæ per illud, fiat, conceditur; hanc autem Epiſcopus impetrans non conſequitur, niſi per pallij receptionem, vt ſupra probauimus, & ideo Eccleſia Bononiẽ non eſt perfectè erecta adhuc in Archiepiſcopatum, vt ſupra probauimus, & per conſequens D. Cardinalis potuit, vt prius exercere Pontificalia.

20 Ad ſecundum eodem modo reſpondetur, quia Eccleſia ante pallij receptionem non eſt adhuc effecta Archiepiſcopalis, ſed ſolum conſtituta in proxima potentia ad petendam conſummationẽ gratiæ, videlicet ad petendum, & recipiendum pallium in ſuo ſponſo, & conſecutiuè dignitatẽ Archiepiſcopalem, & ideo tota ar-

gumenti vis corruit.

21 Ad tertium respondetur, negando paritatem rationis, quia Episcopus translatus per translationem contrahit nouum matrimonium spirituale cum Ecclesia, ad quã transfertur, quod postea perficitur per pallij receptionem, & ideo non potest ea consequi iura in dicta Ecclesia, quæ subsequuntur ad pallij receptionem: hoc autem non militat in casu nostro, cum iam vinculum spiritualis matrimonij fuerit perfectè contractum, & non dissolutum.

22 Secundò respondetur Episcopo translato ad Archiepiscopalem Ecclesiam expressè prohiberi nomen Archiepiscopale, & exercitium Pontificalium ante pallij receptionem per *cap. bonæ* 4. *in fine*, *de postulat. Prælat.* vbi propterea ei promittitur pallium ad nomen, & vsum Ecclesiæ, ad quam transfertur: hoc autem non est in casu nostro.

23 Ad quartum respondetur. Ecclesiam recenter efferendã ad Archiepiscopatum non esse Archiepiscopalem ante primi pallij receptionem, vt supra probauimus, & propterea argumentum non probat.

24 Concludendũ igitur est Ecclesiam Episcopalem de nouo erectam in Archiepiscopatum non esse Archiepiscopalem ante primi pallij receptionem, & ideo D. Cardinalis suo iure Episcopali potuit prosequi Põtificalia, vt Episcopus, ante pallij receptionem.

CAPVT XXXV.

Archiepiscopus vtens pallio vltra loca, dies, & functiones præscripta in priuilegio, An, & quas incurrat pœnas.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiscopi non semper, & vbique possunt deferre pallium.*

2 *Festiuitates, & functiones numerantur, in quibus competit vsus pallij.*

3 *Prohibitionis aculeus pœna, & sine aculeo prohibitio non timetur.*

4 *Pœna est debita delictorum coerctio.*

5 *Cõstantinopolitana Synodus deponit Archiepiscopum, qui extendit priuilegium pallij.*

6 *Con-*

6 *Concilium Romanum anathemate percussit.*
Deponi posse ab officio, & ministerio statuitur.
7 *Nulla in iure expressa reperitur pœna contra Archiepiscopos extendētes priuilegium pallij.*
8 *Romanæ Ecclesiæ priuilegia sunt sacrosancta.*
9 *Piaculi immanis Reus, qui illa spernit.*
10 *Innocentius III. arguit Archiepiscopum Compastellanum.*
11 *Libertas in vsu pallij temeraria, & omnino coercenda.*
12 *Mitius agitur si priuetur vsu pallij, vel ad tempus suspendatur ab eo.*
13 *Abutens priuilegio meretur illud amittere.*

1 CVm Archiepiscopi non semper, & vbique possint in suis Prouincijs vti pallio, sed quibusdam solum locis, diebus, & functionibus in priuilegio expressis, &

2 Dies regulariter soleant esse infrascriptarum festiuitatum Natalis Domini, S. Stephani Prothomar. S. Ioannis Apostoli, Circumcisionis, & Epiphaniæ Domini, Dominicæ Palmarum, Cœnæ Domini, Sabathi Sancti, Trium dierum Resurrectionis Domini, Ascensionis, Pentecostes, S. Ioannis Baptistæ, omnium Apostolorū, Quatuor festiuitatum B. Mariæ semper Virginis, S. Michaelis, Omnium Sanctorum, S. Martini Episcopi, Principalium Festiuitatum Ecclesiarum, quæ pallio decoratæ existunt, dedicationum Ecclesiarum, Consecrationum Episcoporum, Ordinationum Clericorum, necnō Anniuersariæ Consecrationis palliati, *c. porro, de Consecr. dist.* 1. Festiuitatum Sanctorum, quorum corpora in eius Prouincia quiescunt, & in principali festo cuiuslibet loci suæ Prouinciæ, si ad eum locum se eo die conferat. Vide *glos. in c. ad honorem, de auct. & vsu pallij, Carem. Rom. Tom. 3. Concil. tit. 10. de Episcopis, in fine, & canon 27. de vsu pallij.*

In exequijs Defunctorum, vel in benedictionibus nubentium vti pallio non licet, *c. fin. de auct. & vsu pallij, Durand. in suo Rational. Diuinorum Officiorum lib. 3. de pallio, num.* 13. multo minus in Processionibus, *cap. 1. de auct. & vsu pallij.* Propterea hoc loco videndum est, an Archiepiscopi queant impunè extēdere vsum pallij ad alios dies functiones, & loca, & si non impunè, quibus puniantur pœnis; cum prohibitionis aculeus sit pœna, & sine aculeo prohi-
3 bitio non timeatur. Pœna enim est debita delictorum coer-
4 tio, *l. 1. §. fin. l. si pœna 20. ff. de pœnis.* Videamus igitur an sit aliqua pœna extrinseca, qua puniantur Archiepiscopi violatores

tores prohibitionis huiuſmodi,
cum violatio non inualidet, ſed
ſolum faciat actum illicitum.
5 Maiolus *in lib. 2. de Irregular.*
Canon. impedim. cap. 2. num. 9. re-
fert in Conſtantinopolitana
Synodu 8. generali Can. 27.
ſub Hadriano II. celebrata ſta-
tutum fuiſſe, vt deponi poſſit
Archiepiſcopus, qui extra de-
bita tempora, & loca vtitur pal-
lio.
6 Romanum Cōcilium ſub Ni-
colao Primo anathemate per-
cuſſit contemptores ſanctionū
Eccleſiaſticarū Apoſtolicę Se-
7 dis. Azor *Inſtit. Moral. parte 2*
lib. 3. cap. 34. quæſito 6. §. quæres,
exiſtimat Archiepiſcopum in-
debitè vtentem pallio nullam
iuris pœnam incurrere, ſed poſ-
ſe per ſententiam remoueri ab
officio, & miniſterio, aut alia
minori pœna puniri.

S. Fulbertus Carnotenſis *Epi-*
ſtola ſua ad Archiepiſcopum Turo-
nen. monet illum, vt caueat mu-
nera obire, ſi pallium nondum
requiſiuit; ſed expectet, donec
requiratur, ne ex improuiſo ar-
guatur à Summo Pōtifice præ-
8 ſumptionis; nam Romanæ Ec-
cleſiæ priuilegia reuerenda eſſe
debent, adeoque ſacroſancta,
& qui ea contemnere, vel im-
9 petere auſus fuerit, piaculi im-
manis reus ſemper in Eccleſia
ſit habitus.

Equidem in iure nullam pœ-
nam reperio expreſſam; & ideo
non irroganda, iuxta *authen.*
de non eligen. ſecundo nuben. §. ſin
autem, gloſ. in cap. fin. de Iure Pa-
tron.

Et eo magis, quia in ſacris
Canonibus reperi multoties re-
dargutam Archiepiſcoporum
Rauennatenſium libertatem
vtendi pallio in functionibus, &
diebus excluſis à priuilegio eo-
rum, ſed de pœna incurſa ne
verbum quidem fit.
10 Innocentius Tertius repræ-
hendit Archiepiſcopum Com-
poſtellanum, eo quod extra
Prouinciam ſuam vteretur pal-
lio, ſed allegat tantum pro ra-
tione huiuſmodi exceſſum eſſe
corruptelam, & non conſuetu-
dinem, *cap. ad honorem, §. fin. de*
auct. & vſu pallij.
11 Negari non poteſt huiuſmo-
di libertatem non eſſe temera-
rariam, & grauem exceſſum, &
ideo omnino coercendam, cum
reperiatur aliquando anathe-
mate, aliquando depoſitione à
dignitate, & aliquando ab offi-
12 cio, & miniſterio punita. Mi-
tius cum violatoribus tam inſi-
gnis priuilegij agi non poteſt,
quàm illos priuare vſu pallij,
vt annuit Nicolaus Primus epi-
ſtol. 47. vel ad tempus ſaltem
ab eo ſuſpendere; quia qui abu-
13 titur priuilegio, meretur illud
amittere, *cap. licet. §. talis ergo, de*
Regular.

CA-

CAPVT XXXVI.

Archiepiſcopus ſi ante pallij receptionem exerceat Pontificalia in propria Prouincia, an, & quas incurrat pœnas.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiſcopo ante pallij receptionem prohibetur exercere Pontificalia in propria Prouincia.*
2 *Prohibere, & interdicere idem eſt.*
3 *Interdicere, & ſuſpendere idem eſt.*
4 *Exequutio Pontificalium in propria Prouincia traditur per pallium.*
5 *Prohibere exercitium ordinis, & ſuſpendere, idem eſt.*
6 *Eccleſia Archiepiſcopalis cenſetur viduata ante pallij receptionem.*
7 *Archiepiſcopus exercens Pontificalia ante pallij receptionem in propria Prouincia grauiter peccat.*
Non incurrit vllam cenſuram.
8 *Pœna non incurritur, niſi iure expreſsè caueatur.*
9 *Simplex prohibitio non inducit actualem pœnam.*
10 *Prohibitio per verba, non liceat, non importat ſuſpenſionem.*
11 *Aequipollet præcepto, & inducit neceſſitatem.*
12 *Cenſurarum incurſio non præſumitur, niſi apertiſſimis argumentis probetur.*
13 *Archiepiſcopi ſunt ſpeciali nota digni.*
14 *Non includuntur in pœnis, niſi ſpecificentur.*
15 *Reſponſiones ad argumenta in contrarium, 16. & ſequen.*

CVm ſupra cõcluſerimus Archiepiſcopum ante pallij receptionem poſſe exercere Põtificalia in aliena Prouincia, nõ autem in propria; inſurgit dubium, dato caſu, quod exerceat etiam in propria Prouincia, an, & quam pœnam incurrat. & vi-
1 detur incurrere irregularitatẽ. Nam Archiepiſcopo ante pallij receptionem prohibetur exercere Põtificalia in propria Prouincia, *cap. quod ſicut, §. ſuper eo, de elect. vbi DD. communiter,* ergo interdicitur illorum exerci-
2 tium: idẽ enim eſt apud Canoniſtas prohibere, & interdicere, *c. cũ illorum 32. §. primos, de ſent.*
3 *excommun.* idemque eſt interdicere, & ſuſpendere. *Syluest. in ſumm. verbo ſuſpenſio, num. 1.* ſed qui

qui violat suspensionem fit irregularis, *cap.1.§.fin. de senten. & re iudicata in 6.c.1.§.fin. de senten. excommun. in 6. & DD. communiter*, ergo Archiepiscopus exercens Pontificalia in sua Prouincia ante receptionem pallij fit irregularis.

4 Secundo, Exequutio Pontificalium in propria Prouincia traditur per pallium, *Io. Andr. in c.nisi, num.2. & ibi Anchar. n. 1. & DD. communiter*, ergo ante receptionem pallij remanet, quoad propriam Prouinciam impedita potestas illa exercendi, quam in consecratione acceperat, *Butrius in d cap. quod sicut num.41. & DD. communiter*, sed nõ potest allegari aliud impedimentum, nisi suspensio, ergo Archiepiscopus ante receptionem pallij est suspensus ab exercitio Pontificalium in propria Prouincia, ergo si illa exercet, fit irregularis per textus supracit.

5 Tertiò. Prohibere alicui exercitium ordinis, & suspẽdere idẽ important, *c.presbyterum, distin. 28. ca. Presbyter, dis.82.* sed sacri Canones prohibent Archiepiscopis exercere Pontificalia in propria Prouincia ante pallij receptionem, *d. cap. sicut*, ergo suspendunt, ergo si illa exercẽt fiunt irregulares.

6 Quartò. Ecclesia Archiepiscopalis censetur viduata, antequam Archiepiscopus, licet cõsecratus, recipiat pallium, *cap. Quoniam, dist.100.* ergo non habet suum sponsum Archiepiscopum; ergo electus Archiepiscopus non est Archiepiscopus, sed si electus Archiepiscopus exercet Pontificalia in sua Prouincia, exercet, vt Archiepiscopus, per dictum *cap. Quod sicut*, ergo exercet officium quod non habet, ergo fit irregularis.

7 His tamen non obstantibus contrariam sententiam admittendam censeo; Nam Archiepiscopus ante pallij receptionẽ, si exerceat Pontificalia in sua Prouincia, grauiter peccat, & vt optimè *Turrecremata existimat in cap. Quoniam, num.1. dist. 100.* est deponendus, & cum eo etiam deponẽdi Suffraganei ab illo, hoc intermedio tempore consecrati, eiusque clerici ordinati; non autem vllam censuram, vel irregularitatem incurrit; & moueor.

8 Primo. Quia pœna non incurritur, nisi expresso iure caueatur, *authen. de non elig. secun. nuben. § sin autem. glos. in c.fin. de Iurepatron.* sed pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium ante pallij receptionem nullo expresso iure cauetur, ergo non incurritur.

Secundò. Nulla inducenda irregularitas, quæ non sit in iure expressa, *cap. is qui 18. de sent. excomm. in 6.* sed nullibi reperitur

tur in iure, quod Archiepiscopus exercens Pontificalia in sua Prouincia ante pallij receptionem contrahat irregularitatem, ergo non est inducenda.

9 Tertiò, Simplex alicuius actus prohibitio non inducit specialem pœnam, *cap. exigit, de Censuris in 6.* sed prohibitio exercendi Pontificalia in propria Prouincia est simplex prohibitio, ergo nō inducit specialem pœnam, neque suspensionis, neque irregularitatis. Quod sit simplex prohibitio, patet, nulla enim specialis eam comitatur pœna.

Quartò. Prohibitio exercēdi Pontificalia in propria Prouincia ante receptionem pallij fit per verba, non liceat; sed huius modi verba non important

10 de sui natura aliquam suspensionem, vt per *Concil. Trident. sess. 6. cap. 5.* vbi dicitur, *nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in aliena Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia; si secus factū fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium sit ipso iure suspensus*; ergo prohibitio huiusmodi nòn inducit suspensionem, & multo minus irregularitatem, nisi expresse apponatur.

11 Quintò. Prohibitio facta per verba, non liceat, æquipollet præcepto, & necessitatem inducit non faciendi actum prohibitum, *c. nulli, de elect. in 6. c. 1. de rebus Ecclesiæ alien. c. non liceat, de cleric. non residen. cap. si quis Episcopus, & c. non licet 11. q. 3. c. non liceat, dist. 92. c. non licet, dist. 10. c. nō licet 46. c. non licet, dist. 63. c. non licet 26. q. 7. c. non licet 35. q. 5. cap non liceat, de præben. & dignit. Phil iarch de officio Sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 2. dist. 3. Castr. de lege pœnali, lib. 1. cap. 5. documen. 4. Sanch. in præcepta Decalogi tom. 2. lib. 6. c. 4. num. 38.* & sicut regulariter præcepta non sunt sub censura ipso facto incurrenda, nisi exprimatur, ideò cum prohibitio facta Archiepiscopo de non exercendis Pontificalibus in propria Prouincia ante receptionem pallij sit per verba, non liceat, nullamque exprimat cēsuram, vel irregularitatem, nudum inducit præceptum: ergo Archiepiscopus exercens Pontificalia in sua Prouincia ante receptionem pallij nullam incurrit suspensionem, vel irregularitatem, sed solum violat præceptum, & facit contra Canones, & Iura, vt aduertit optimè Azor. *Instit. moral. par. 2. l. 3. cap. 34. q. 5.*

12 Sextò. Censurarum, & aliarum pœnarum non præsumitur incursio, nisi apertissimis argumentis probetur, *cap. pia cōsuetudine, de except. in 6. l. sciāt, C. de probat. Azo. in sum. §. postmodum, de probat. & in tit. de pœnis, Oldrad. cons. 183. num. 16.*

sed

sed in exercendis Pontificalibus in propria Prouincia ante receptionem pallij prætensa suspensio, vel irregularitas non probantur apertissimis argumentis, sed solùm fundantur in valdè remota præsumptione; ergo illarum incursio non præsumitur.

13 Septimò. Episcopi, & Archiepiscopi sunt speciali nota digni. *Anchar. cons.* 186. *nu.* 5. *Butr. cons.* 10. *n.* 4. *Tuscus l. Episcopus, conclus.* 236. *n.* 6. sed qui sunt speciali nota digni non comprehenduntur in expres-

14 sis pœnis, nisi specificè includantur. *c. quia periculosum, de senten. excommunic. in* 6. *c. quod nullis, de priuileg.* vbi in specie loquitur de Episcopis, & de suspensione, atque interdicto, & *l item apud*, §. *ait Prætor*, *ff. de iniurijs*; ergo multò minus debent præsumi inclusi in præsūptis, & non expressis pœnis, prout est in nostro casu.

15 Ad argumenta in contrariū allata, & primò ad primum respondeo. Archiepiscopis prohiberi exercitiū Pontificaliū in propria Prouincia, sed non sub actuali suspēsione, & propterea non actualiter in prohibitione suspenduntur; alias punirentur absque præcedente eorū culpa, quod nō est dicendū, cum pœna solū sequatur delinquentes. *l sancimus*, C. *de pœnis*, *l. si quis maior*, C. *de transact.* & quod allegatur, apud Canonistas idem esse prohibere, interdicere, & suspendere, intelligendum est non semper eodem modo, aliquando enim proprio, & stricto modo, & sumitur pro maiori suspensione, in qua si quis celebret, fit irregularis. *c.* 1. *de sent. excom. in* 6. & hæc propria secundum omnes DD. appellatur suspensio; aliquando sumitur impropriè, & lato modo, prout est in *c. quæsitum* 10. *de cohabit. Cler. & mulier.* vbi Sacerdoti existenti in peccato mortali prohibetur ordinum exercitium, & si ab eo non abstineat, peccat denuò mortaliter *c. quotidie, de consecrat. dist.* 2. *c. de homine* 7. *de celebrat. Miss.* sed non fit irregularis secundū omnes DD. Idem est in Clericis peregrinis, quibus prohibetur in publico celebrare. *c.* 1. *& c. tuæ, vbi glos. in verbo suspensione, de Cler. peregr.* & ideo nō est necessaria, & concludens sequela; prohibetur exercere Pontificalia in propria Prouincia ante pallij receptionem; ergo suspenditur suspensione maiori.

Ad secundum respondetur, concedendo, per pallium concedi executionem Pontificaliū in propria Prouincia, & ante pallij receptionem eorum exercendorum potestatem remanere impeditā per Canonis præceptum, quod impropriè, & lato modo dicitur suspensio; & pro-

propterea nego, si hoc interim Pontificalia exerceantur, irregularitatem indè contrahi ob easdem rationes superius allatas.

Ad tertium respondetur, prohibere, & suspendere idem esse, si istud suspendere sumatur impropriè, & lato modo, & propterea non sequitur irregularitas, si durante huiusmodi suspẽsione exerceantur Pontificalia.

Ad quartum respondetur. Ecclesiam censeri viduatã ante pallij receptionem, idest reputari viduatam, non quia non habeat sponsum, nam verè habet, qui post suam confirmationem omnia iurisdictionalia exercet, vt illius sponsus, & Archiepiscopus, vt alias probauimus, & per eius consecrationẽ fuit completum, & perfectum matrimonium inter sponsum, & Ecclesiam; sed quia ille non potest adhuc se legitimè appellare sponsum, & Pontificalia legitimè exercere per se ipsum in propria Prouincia ob prohibitionem prędictam, ideò quoad istam partem censetur viduata, idest priuata suo sponso; non propterea illationes in argumento factæ sequuntur, cũ ipse electus Archiepiscopus, confirmatus, & consecratus sit verus dictæ Archiepiscopalis Ecclesiæ sponsus, & per consecrationem receperit potestatẽ exercendi officium Archiepiscopale, & ideò si illud exercet, officium proprium exercet, illicitè tamen ob prohibitionem sibi per sacros Canones factã, & propterea indignationem Sedis Apostolicæ incurrit, & meretur depositionem; cum quis debeat in eo puniri, in quo deliquerit, sed nullam contrahit irregularitatẽ, atque actualem censuram, & pœnam.



CAPVT XXXVII.

An pallium ſemper, & vbique ſepeliendum cum cadauere Archiepiſcopi.

SVMMARIVM.

1 *Pallium ſequitur palliatum ſepultum.*

2 *Palliatus diuerſimodè ſepelitur cum pallio in ſua Prouincia, & extra.*

3 *Priuilegium pallij extra exercitium Pontificalium non extenditur.*

4 *Priuilegium ſeruandum in rebus expreſſis.*

5 *Palliato decedente in mare pallium conſeruandum ſuæ Eccleſiæ.*

6 *Veſtimenta ſacrata, vſu conſumpta comburenda, & cineres in loca ſacra proijciendi.*

7 *Laudatur hæres, qui contra mẽtem teſtatoris cadauer illius honeſtæ ſepulturæ tradit.*

8 *Pallium non ſepeliendum cum cadauere palliati in hæreſim lapſi.*

9 *Lex ad ea, quæ frequenter, nõ autem raro accidunt.*

1 CVm palliũ ſequatur perſonam palliati, qui cum eo debet ſepeliri, vt per *c. ad hæc, & ibi DD. de auct. & vſu pallij*, oritur difficultas, An neceſſariò ſemper, & vbique debeat cum cadauere palliati ſepeliri; dari enim poſſunt aliqui caſus, in quibus non debeat, vel non liceat.

2 Indubitatum primò eſt, quãdo palliatus moritur, & ſepulturæ datur in ſua Prouincia, ipſum ſupra planetam pallio circa humerum indutum ſepeliẽdum; ſi extra Prouinciam pallium complicatum ſub eius capite ponendum. *Caſtal. in ſua praxi Cæremoniarum lib. 1. ſect. 10. c. 10. n. 12.* ratio eſt, quia eius priuilegiũ eſt, vt vtatur in propria Prouincia, & nõ extra. *c. 1. de auct. & vſu pallij*, & ideò non poteſt illud deferre circa humeros, quæ pallij geſtatio denotat iuriſdictionem in loco, vt alias probauimus.

Si verò palliatus haberet pallij vſum extra Prouinciam adhuc exiſtimo illud ponendum ſub capite, quando ſepeliri contingat palliati cadauer extra
3 ſuam Prouinciam: nam priuilegium illius vſum concedit in Pontificalium exercitio, non autem extra illud, & priuilegiũ
4 debet ſeruari in rebus expreſſis

ſis tantum. *c. cum plantare* 3. *c. porrò* 7. & *c. petiſti* 20. *de priuileg. Panorm. in c. cum ordinem* 6. *n.* 2. *de reſcriptis, & DD. communiter*, & eò magis quando eſt odioſū, prout eſt in noſtro caſu, & alias probauimus.

Maior difficultas eſt, ſi palliatus decedat in mare, & vt moris eſt, ad conſulendum connauigantium ſanitati, & vitæ, illius cadauer incluſū viminali ſporta proijciatur in mare, an etiam pallium debeat introcludi; nam prædictum capitulum generaliter loquitur, & ideò videtur includendum.

5 Contrarium tamen cenſeo ſtatuendum cum *Panorm. in d. c. ad hoc, de auct. & vſu pallij*; nam ſi veſtimenta ſacra malè tractari non debent; immò ſi præ vetuſtate fuerint conſumpta, debent comburi, eorumq.

6 cineres proijci in loca ſacra, *c. Altaris palla, de conſecrat. diſt.* 1. multò magis pallium inter veſtimenta ſacra primarium Sūmi Pontificis ornamentum, vt ſupra oſtendimus. quod etiam confirmatur, ex *l. quidam in ſuo* 27. *ff. de condit. inſtit.* vbi laudatur hæres, qui non morem

7 geſſit ſui teſtatoris vltimæ voluntati, hæredem illum inſtituentis ſub hac conditione, vt poſt obitum, eius reliquias in mare abijceret, ſed illum honeſtæ ſepulturæ tradidit: eodē modo laudandi ſunt, qui cum cadauere palliati non proijciūt pallium, ſed illius Eccleſiæ reſtituunt inter vaſa ſacra reponendum.

Non obſtat allegatum *c. ad hoc*, cui contraria ſententia

8 maximè innititur; nam iura ad ea, quæ frequenter, non autem ad ea, quæ perrarò contingunt, ſe adaptant. *l. nam ad ea* 5. *l. quæ ſemel* 6. *l. neque leges, ff. de legibus*. *c. ſæpè contingunt, de reſtit. ſpoliat.* & propterea dictū *c. ad hoc*, non habet locum in caſu noſtro, qui perraro contingit.


Nō propterea in Cæleſti patria deerit palliato Catholica doctrina, & morum integritate bene adminiſtrati pallij ſua corona, & quædam quaſi, vt ita dicam, laureola, quæ eum ſequetur non ad mortis ſepulchrum, ſed ad æternitatem immortalis vitæ, & honoris.

9 Multò minus pallium ſepeliendum eſt cum cadauere palliati in hæreſim turpiter, ac pertinaciter lapſi; nā vt S. Gregorius *lib.* 4. *indict.* 13. *epiſt.* 40. ad Virgilium Arelatēſem ſcribit. Palliū imago charitatis eſt, quæ abſentia per imaginem, præſentia ſibimetipſis exhibet per amorem, diuiſa vnit, confuſa ordinat, inæqualia ſociat, imperfecta conſummat, hæc autem non poteſt pallium

consequi in palliato hæretico; qui capitale odium in Deum, eiusque Catholicam Ecclesiam profitetur debito sibi amore excluso; per amorem enim vnita temere diuidit, ordinata cōfundit, æquata pretioso Christi sanguine dissociat, & perfecta consummat: ideò illius cadauer Ecclesiastica sepultura, non solum pallio, priuandum meritò est. *c. sacris 12. de sepulturis, c. quicunque 2. de Hæreticis in 6.*

Hęc de pallio dixisse pro mei ingenij tenuitate, & scripsisse satis pro nunc erit, omnia subijciendo Sedis Apostolicæ oculatissimo iudicio.

FINIS.



IN-

INDEX RERVM NOTABILIVM.

C. Capitulum, N. Numerum, P. Paginam indicant.

N in

pum.

Simi-

&

FINIS.

Errata Corrige.

Pagina	Numerus	Errata	Corrige	Pagina	Numerus	Errata	Corrige
2	5	debet	debeat	88	22	neceſſario	neceſſaria
18	3	Quoquo	quoque	89	28	admittunte	admittunt
23	9	in proprio	improprie	95	20	cantius	cautius
31	6	Afterit	Aſſerit	109	23	veneratur	veneramur
34	6	Apoſtolicē	Apoſtolicā	119	23	quo	in quo
51	3	ſimplrx	ſimplex	135	80	ſoectat	ſpectat
64	23	tecipio	recipio	144	20	ad ſecundum	ad ſecundā
80	19	Manfrodien	Manfredonien.				

Reliqua ſuppleat Lectoris Prudentia.

